
NAZIONALE
A
EMANUELE

NECROLOGIVM
PONTIFICVM
AC
PSEVDOPONTIFICVM
ROMANORVM



NECROLOGIVM

Pontificum ac Pſeudopontificum ROMANORVM CVM NOTIS.

AVCTORE

AVGVSTINO OLDOINO

SOCIETATIS IESV.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

CARD. CAROLO

ROSSETTO

DEDICATVM.





ROMAE,
Typis, & Expenſis Ignatij de Lazaris.
MDCLXXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO

CAROLO CARD. ROSSETTO

AVGVSTINVS OLDOINVS SOC. IESV S.D.



NCIDVNT persæpè tempora, quibus à debitis obligationum officijs recedere, nisi grauissimo admisso piaculo nemini liceat; & ego is sum, qui eiusmodi occasiones non facilè è manibus mihi elabi sinam, vt Orbi aperiam vniuerso quibus cuipiam nominibus debeam. Vt autem me Tibi deuinctum viuere Mortalium neminem lateat, è sepulchris Mortuorum, Cadauera Pontificum Romanorum, non ad terrorem, sed ad eruditionem effodi, vt Tibi in mearum obligationum argumentum consecrarem. Hominum menti insident altiùs, memoriaque retinent faciliùs Mortales, quæ Mortui ex pheretro, quàm quæ viui è suggestu illis exponunt, atque explicant. Abdita, & retrusa veritas, non nisi subterraneas incolit domos, animique nostri rarò Cœlum contemplantur, nisi è Sepulchris, ad quæ Au-



læ caligo, quæ mirum officit animis, vitiumque oculis maximum infert, ne percipiamus Mundi vanitates, non descendit, neque permeat. Lethum ab obliuione dictum volunt illi, qui vltronea obliuione vita iam functos ab animo delent, & obliterant; ego tamen sub Francisco Suuertio has veritates edoctus, voluptati duco Defunctorum decantatam fabulam, & imminentem nobis quotidie catastrophen audire, & legere sæpissimè, veterisque Præconis consuetudinem damno, Mortuorum recordatione m prohibentis, imò laudo eos, qui, vel humati Epicuri imaginem, tum in Tabulis, cùm in poculis, & annulis gratissimam habuère. Necrologium idcirco construxi hoc, in quo Pontificum, ac Pseudopontificum Romanorum extrema notatur dies, vt horum mors nobis imminens, nos erudiat, ac doceat splendidum illud mortalitatis nostræ documentum, fictiles nimirum esse homines omnes, bullasque momento temporis nascentes, atque euanescentes. Parcæ enim non parcunt linguæ, dum quotidie tacitæ ludum exercent suum non solùm in gregarios, sed

in

in Viros etiam principes, ambitioſa quadam inuidentia continenter ludunt. Optimè quidem ſcio nos in Orbe verſari, in quo Mortales, mortalitatis propriæ, propemodum obliti, tam anxiè, vt cum Tacito loquar, inter abruptam contumaciam, & deforme, obſequium per iter haud ambitione, & periculis vacuum ad honores graſſantur, quare hi certè me inſanire iudicabunt, dum è ſepulchris cadauera Pontificum effodere perſpicient, ad homines quotidie expirantes erudiendos. Verum fatear, non vt vnum, aut alterum ex multis, ſed ſolùm vt prudentes inſtituerem viros, hoc perfeci opus; non enim homnes ſunt, qui adſpicere, & præferre talia recuſant, nam ipſa natura humana docet Maiorum non obliuiſci, & quibus poſſumus eos commendare ingenijs; neque certè obliterandi, vtar Ambroſij Mediolanenſis Antiſtitis verbis, à memoria noſtra ſunt illi, quorum non deſijſſe hinc mortis euulſio fuit, ſed in melius commutaſſe; viuunt certè in Deo illi omnes, qui in ipſo ſperarunt; quapropter officioſiſſimum eſſe iudicaui Sanctos imitari

viros

viros Ambrosium, Hieronymum, reliquosque, qui suis Epitaphia charis facundissimè condiderunt: Maiorum siquidem exempla maximè conferunt ad præsentis vitæ moderationem, præteritæque correctionem ex Bernardo Clareuallensi. Non igitur mœstitiam nobis inferre possunt Maiorum sepulchra frequentata à nobis, imò illam è cordibus proscribent nostris, ex Suuertio, qui scriptis consignauit in Posterorum vtilitatem. Si mœrorem vis vincere, circui sepulchra, nam ibi passionum inuenies remedium, & maximas hominum fortunas vlteriùs cinerem, videbis esse nihil. Quidquid Planetarum Principi debemus, scripsit alter, debemus & Defunctorum sepulchris; nam si ille ab oculis, hæc ab animis tenebras remouent, vt pericula euitare valeamus ad salutem; si ille corporis exuberantes humores, hæc animi libidines exsiccant; ille Cœlorum aspectum nobis retegit ad contemplationem, hæc eorundem fores expandunt ad fruitionem. Non igitur prætermittenda Maiorum facta, quæ ne temporum iniuria elangueant, Posterorum memoriam Necrolo-

crolo-

crologio hoc refricabo, quod Tibi dicatum venit, & sub Eminentiæ Tuæ auspicijs, Opus, licèt non magnum, Maximorum tamen Pontificum publicus Præco, Mortalibus Mortis Trophæa diuulgat, vt de illis, quæ Præconis vox prædicat, verum hi pretium faciant. Nec vitio vertendum erit Auctori quòd nomen CAROLI CARDINALIS ROSSETTI, dignissimum vt scalpro sculpatur in silice, scripserit in mortuorum puluere; nam hic, instar Mathematicorum eruditus æquè, ac immobilis, cum ima sede semper hæreat, ventosis follibus numquam agitatur. benè igitur CAROLI nomen etiam in puluere hoc exaratum, stabit æternò. Si quis autem præclari huius Cardinalis gesta percurrere exoptaret, legat quæ in Additionibus Ciaconianis de tanto viro, strictim tamen, ne offensioni eius innatæ modestiæ essemus, attigimus. Neque excludet Princeps noster oblata, quia exigua; nam regium esse iuxta, ac benignum, capere candido, & alacri animo exigua, atque ingentia donare Artaxeris Persarum Regis exemplo; optimè callet; non ex do-

ni

ni pretio, ſed ex propenſo corde dantis munera pretium habent ſuum apud Principes ſummos: ideò Lycurgus ſimpliciſſimas hoſtias Spartæ præſcripſit, vt ſemper Deos ex ijs, quæ ad manus eſſent, colere promptè, & facilè valerent. Probabit, ni fallor, Orbis Terrarum, probabis & Tu, humaniſſime CAROLE, Auctoris conſilium, quòd dum Summorum Antiſtitum acta in arctum collecta publicæ luci commiſit, factum hoc voluerit ſub Eminentiæ Tuæ auſpicijs, quam tantum amare, tantumque amari à Pontificibus nouit. Vale. Romæ. Kalen. Ianuarij MDCLXXI.

AD

AD
LECTOREM.



NIHIL antiquius apud S. R. E. Præſules fuiſſe videtur, quàm vt Chriſtianorum illuſtrium, acta, & res præclariſſimè geſtæ, perpetuæ memoriæ monimentis conſignarentur, ne perirent cum vita Auctoris. Cuius rei egregiam nauatam operam primùm fuiſſe à S. Clemente Pontifice teſtatum habetur in libro de Romanis Pontificibus, ſub Titulo Damaſus, qui eſt omnibus, ſacris præcipuè Hiſtoricis, notiſſimus. Clemens enim Vrbem Romæ in ſeptem regiones diuiſit, vnicuique Notarium, probatæ fidei virum adſcribendo, qui geſta Martyrum ſollicitè, & curiosè, vnuſquiſque in propria regione perquireret. Eandem Vrbem ob Martyrum multitudinem in XIV. regiones diſtribuit Fabianus ſucceſſor, ſingulis Diaconum, ſeu Subdiaconum cum Notario, qui geſta Martyrum in integrum, colligeret; & ipſe aſſignauit. Ad Eccleſiæ Romanæ imitationem, aliæ etiam Tranſmarinæ idem opus aggreſſæ ſunt, nataleſque adnotarunt dies, ſic enim appellare conſueuerunt tranſitum Martyrum, vt per ſingulos annos

eodem


eodem recurrente die in eiusdem S. Martyris memoria Deo offerretur sacrificium laudis, & acta publicè legerentur in Conuentibus Fidelium. At cum in immensum ob SS. Martyrum copiam creuissent, vt apud Fideles eorum memoria vigeret, inuentæ sunt, Ecclesiasticæ Tabulæ, quibus Martyrum primò, deinde aliorum etiam virorum sanctitate illustrium natalitia indicata habebantur, quæ Fasti, seu Census, aut Menologia, vel Martyrologia fuere appellatæ. Talem Ecclesiæ ritum imitati Monachi, suorum obitum ac gesta adnotare consueuerant in volumine nuncupato Necrologium; Nos Monachorum vestigijs inhærentes Pontificum ac Pseudopontificum defunctorum Necrologium extruximus, in quo notatus apparet dies obitus, & acta præcipua vniuscuiusque, vt memoria vigeat in æuum Virorum tantorum, qui Ecclesiam Catholicam dictis, factisque illustrarunt. Notas addidimus, quia in antiquis multa obscura, & multa dubia. Authores etiam indicauimus pro illis, qui singulorum acta minutatim inuestigare percuperent. Si opus tibi arridet, accipe donum, sin minùs, rei gratiam accipe, & Vale.

IOAN-

IOANNES PAVLVS OLIVA
Præpositus Generalis
Societatis Iesu.

CVm Opus, cui titulus Necrologium Pontificum, ac Pseudopontificum Romanorum à P. Augustino Oldoino nostræ Societatis Sacerdote conscriptum, aliquot eiusdem Societatis Theologi recognouerint. & in lucem edi posse probauerint, potestatem facimus, vt typis mandetur, si ijs ad quos pertinet, ita videbitur. Dat. Romæ 30. Decembris 1670.

Ioannes Paulus Oliua.



Imprimatur.


Si videbitur Reuerendissimo P.Mag.Sac. Pal. Apostol.

I. de Ang. Archiep. Vrbin. Vicesg.



Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sacr. Palat. Apost. Magist.



IANVA-

IANVARIVS.

1.	Kal.	
2.	IV.Non	
3.	III.	S. Antherus.
4.	Prid.	
5.	Nonis.	S. Thelesphorus.
6.	VIII.Id.	
7.	VII.	Ioannes VI.
		Anacletus II. Pseudopontifex
		Cæleſtinus III.
		Innocentius X.
8.	VI.	
9.	V.	
10.	IV.	Vigilius.
		S. Agatho.
11.	III.	S. Hyginus.
		Gregorius X.
12.	Prid.	
13.	Idib.	Felix IV. dictus V. Pſeudopontifex
14.	XIX.Kal	
15.	XVIII.	
16.	XVII.	S. Marcellus.
17.	XVI.	Paſchalis I. Pſeudopontifex.
18.	XV.	Conſtantinus Marinus.
19.	XIV.	
20.	XIII.	S. Fabianus.
21.	XII.	Paſchalis II.
22.	XI.	
23.	X.	Valentinus.
24.	IX.	Benedictus IX. ſeu X. Pſeudopont.

IANVARIVS.

25.	VIII.	Stephanus V. } Gregorius IV. }
26.	VII.	
27.	VI.	S. Vitalianus.
28.	V.	Paulus V.
29.	IV.	Gelasius II.
30.	III.	
31.	Prid.	Stephanus IV.

FEBRVARIVS.

1.	Kal.	
2.	IV.Non	
3.	III.	
4.	Prid.	
5.	Nonis.	
6.	VIII.Id.	
7.	VII.	
8.	VI.	Pelagius II.
9.	V.	Siluester IV. Pseudopontifex.
10.	IV.	Ioannes XV.
11.	III.	Constantinus. } Gregorius II. }
12.	Prid.	Vrsicinus Pseudopontifex.
13.	Idib.	
14.	XVI.K.	
15.	XV.	
16	XIV.	Honorius II.
17.	XIII.	
18	XII.	Gregorius V,
19.	XI.	Sabinianus.

20. X.

FEBRVARIVS.

20.	x.	
21.	ix.	Martinus III. alijs V. } Iulius II.
22.	viii.	Syricius.
23.	vii.	Eugenius IV.
24.	vi.	
		S. Felix III. }
25.	v.	Lucius II. }
26.	iv.	Benedictus III.
27.	iii.	
28.	Prid.	

MARTIVS.

1.	Kal.	
2.	vi.Non	S. Simplicius. } Pelagius I.
3.	v.	
4.	iv.	S. Lucius.
5.	iii.	
6.	Prid.	
7.	Nonis.	Clemens VIII.
8.	viii.Id.	
9.	vii.	Cæleſtinus II.
10.	vi.	
11.	v.	Silueſter III. Pſeudopontifex.
12.	iv.	S. Gregorius Magnus.
13.	xiii.	
14.	Prid.	
15.	Idib.	S. Zacharias.
16.	xvii.K.	Ioannes XIV.

MARTIVS.

17.	XVI.	Leo VIII. Pseudopontifex.
18.	XV.	Honorius III.
19.	XIV.	
20.	XIII.	
21.	XII.	
22.	XI.	
23.	X.	Iulius III.
24.	IX.	Stephanus VII. } Nicolaus V.
25.	VIII.	Clemens III.
26.	VII.	
27.	VI.	Gregorius XI.
28.	V.	S. Sixtus III.
29.	IV.	Stephanus X. } Martinus II. alijs IV.
30.	III.	Benedictus VII. dictus VI.
31.	Prid.	Stephanus II.

APRILIS.

1.	Kal.	
2.	IV. Non	Eulalius Pseudopontifex.
3.	III.	Honorius IV.
4.	Prid.	Nicolaus IV.
5.	Nonis.	
6.	VIII. Id.	S. Sixtus I. } S. Cælestinus II.
7.	VII.	Ioannes X.
8.	VI.	Benedictus IV.
9.	V.	Sergius III.
10.	IV.	Gregorius XIII.

S. Leo

APRILIS.

11.	III.	S. Leo I.
		Donus I.
12.	Pridie.	S. Iulius I.
		Sergius II.
13.	Idibus.	Honorius II. } Pſeudopontifex.
		Victor IV. } Pſeudopontifex.
14.	XVIII. K.	
15.	XVII.	
16.	XVI.	S. Leo IX.
17.	XV.	S. Anicetus.
18.	XIV.	
19.	XIII.	
20.	XII.	Clemens V.
21.	XI.	
22.	X.	S. Concordius Soter.
		S. Caius.
		Alexander II.
23.	IX.	Theophylactus Pſeudopontifex.
24.	VIII.	Ioannes Pſeudopontifex.
25.	VII.	Benedictus XI. alijs XII.
26.	VI.	S. Cletus.
		S. Marcellinus.
		Stephanus III.
27.	V.	S. Anaſtaſius.
		Leo XI.
28.	IV.	
29.	III.	
30.	Pridie.	Marcellus II.

MAIVS.

1.	Kal.	Benedictus VIII. alijs IX. } Pius V.
2.	VI. Non.	
3.	V.	S. Alexander I. } Alexander V.
4.	IV.	
5.	III.	
6.	Prid.	Leo VII.
7.	Nonis.	
8.	VIII. Id.	
9.	VII.	Hadrianus III.
10.	VI.	
11.	V.	
12.	IV.	Siluester II.
13.	III.	
14.	Prid.	Theodorus I. } Paschalis I. } Ioannes XII.
15.	Idibus.	S. Benedictus II. } Marinus II.
16.	XVII. Kal	Ioannes XX. dictus XXI.
17.	XVI.	
18.	XV.	
19.	XIV.	S. Cælestinus V.
20.	XIII.	
21.	XII.	Agapetus I. } Stephanus VI.
22.	XI.	Alexander VII.
23.	X.	BenedictusXII.dictusXIII.Pseudop.

Leo

MAIVS.

24.	IX.	Leo V.
25.	VIII.	Vrbanus I.
		Bonifacius IV.
		Gregorius VII.
		Alexander IV.
26.	VII.	Abundius Eleutherius.
27.	VI.	S. Ioannes I.
28.	V.	Zinzinus Pſeudopontifex.
29.	IV.	Sergius IV.
30.	III.	S. Felix I.
31.	Prid.	

IVNIVS.

1.	Kal.	
2.	IV. Non.	S. Eugenius I.
3.	III.	Ioannes XVII. Pſeudopontifex.
4.	Prid.	Anaſtaſius III.
5.	Nonis.	
6.	VIII. Id.	
7.	VII	
8.	VI.	
9.	V.	
10.	IV.	Benedictus VII. Pſeudopontifex.
11.	III.	
12.	Prid.	Leo III.
13.	Idibus.	
14.	XVIII. Kal	
15.	XVII.	
16.	XVI.	
17.	XV.	

IVNIVS.

18.	XIV.	
19.	XIII.	
20.	XII.	S. Siluerius.
21.	XI.	
22.	X.	Innocentius V.
23.	IX.	
24.	VIII.	
25.	VII.	
26.	VI.	Ioannes II. } Adeodatus I.
27.	V.	
28.	IV.	S. Leo II. } S. Paulus I.
29.	III.	S. Petrus Apostolus.
30.	Prid.	

IVLIVS.

1.	Kal.	Philippus Pseudopontifex.
2.	VI. Non.	
3.	V.	Nicolaus II.
4.	IV.	Benedictus V. dictus VI. } Gregorius IV.
5.	III.	
6.	Prid.	
7.	Nonis.	Benedictus X. dictus XI.
8.	VIII. Id.	Gregorius XV.
9.	VII.	Eugenius III.
10.	VI.	Benedictus VIII. dictus VII.
11.	V.	S. Pius I.
12.	IV.	

S. Ana-

IVLIVS.

13.	III.	S. Anacletus I. } Ioannes III. }
14.	Prid.	
15.	Idibus.	
16.	XVII. Kal	
17.	XVI.	
18.	XV.	Ioannes XVIII.
19.	XIV.	S. Symmachus.
20.	XIII.	Innocentius III.
21.	XII.	Bonifacius VII.
22.	XI.	
23.	X.	
24.	IX.	
25.	VIII.	Innocentius VIII.
26.	VII.	Clemens VIII. Pseudopontifex.
27.	VI.	S. Leo IV.
28.	V.	S. Victor I. } S. Innocentius I. } Victor II. } Paulus II. }
29.	IV.	Vrbanus II. } Vrbanus VIII. }
30.	III.	
31.	Prid.	Benedictus I.

AVGVSTVS.

1.	Kal.	
2.	IV. Non.	S. Stephanus I. } Seuerinus I. }
3.	III.	Ioannes V.

4. Prid.

4.	Prid.	
5.	Nonis.	
6.	VIII. Id.	S. Sixtus II. S. Hormiſda. Calliſtus III.
7.	VII.	
8.	VI.	
9.	V.	
10.	IV.	Damaſus II.
11.	III.	
12.	Pridie.	Sixtus IV.
13.	Idibus.	
14.	XIX. Kal	
15.	XVIII.	Conſtantinus Pſeudopontifex.
16.	XVII.	Pius II.
17.	XVI.	S. Hilarus.
18.	XV.	Alexander VI. Paulus IV.
19.	XIV.	Romanus.
20.	XIII.	
21.	XII.	Hadrianus V.
22.	XI.	Gregorius IX. Nicolaus III.
23.	X.	
24.	IX.	Paſchalis III. Pſeudopontifex.
25.	VIII.	Ioannes XVI. Nicolaus V. Pſeudopontifex.
26	VII.	S. Zephyrinus.
27	VI.	Alexander III. Sixtus V.
28	V.	

Calli-

SEPTEMBER.

29.	IV.	Calliſtus III. Pſeudopontifex.
30.	III.	
31.	Prid.	

SEPTEMBER.

1.	Kal.	Hadrianus IV.
2.	IV.Non.	Clemens III. Pſeudopontifex.
3.	III.	
4.	Prid.	
5.	Nonis.	
6.	VIII.Id.	Ioannes XIII.
7.	VII.	Petrus Romanus Pſeudopontifex.
8.	VI.	Theodorus II.
9.	V.	S. Sergius I.
10.	IV.	
11.	III.	
12.	Pridie.	Innocentius VI.
13.	Idibus.	
14.	XVIII.Kal	S. Cornelius.
15.	XVII.	Nouatianus Pſeudopontifex.
16.	XVI.	Victor III. } Clemens VII. Antipapa.
17.	XV.	
18.	XIV.	
19.	XIII.	
20.	XII.	
21.	XI.	Conon.
22.	X.	
23.	IX.	S. Linus. } Ioannes IX.

S.Li-

SEPTEMBER.

24.	VIII.	S. Liberius I.
		Innocentius II.
		Hadrianus VI.
25.	VII.	Clemens VII.
26.	VI.	S. Eusebius I.
27.	V.	Vrbanus VII.
28.	IV.	
29.	III.	Anastasius III. Pseudopontifex.
30.	Prid.	

OCTOBER.

1.	Kal.	Bonifacius IX.
2.	VI. Non.	Vrbanus IV.
3.	V.	
4.	IV.	
5.	III.	
6.	Prid.	
7.	Nonis.	S. Marcus.
8.	VIII. Id.	Cælestinus IV.
9.	VII.	
10.	VI.	
11.	V.	Bonifacius VIII.
12.	IV.	Felix: III. alijs IV.
13.	III.	Honorius I.
		Ioannes IV.
14.	Prid.	S. Calistus I.
15.	Idibus.	Clemens II.
		Vrbanus VI.
		Gregorius XIV.
16.	XVII. Kal.	

Boni-

OCTOBER.

17.	XVI.	Bonifacius II.
		Ioannes VII.
18.	XV.	Pius III.
19.	XIV.	Vrbanus III.
20.	XIII.	
21.	XII.	Stephanus IX. dictus VIII.
22.	XI.	Theodorus Pseudopontifex.
23.	X.	Leo VI.
24.	IX.	
25.	VIII.	S. Bonifacius I.
		Bonifacius V.
		Ioannes XI.
26.	VII.	S. Euaristus.
27.	VI.	
28.	V.	
29.	IV.	
30.	III.	
31.	Pridie.	Ioannes XVII.

NOVEMBER.

1.	Kal.	
2.	IV.Non.	
3.	III.	
4.	Prid.	
5.	Nonis.	
6.	VIII.Id.	Sisinius.
		Innocentius VII.
7.	VII.	
8.	VI.	S. Deusdedit.
		Ioannes XIX.

9. V.

NOVEMBER.

9.	V.	
10.	IV.	Paulus III.
11.	III.	Felix II.
12.	Prid.	Dioscorus Pseudopontifex. Bonifacius III. S. Martinus I.
13.	Idibus.	Nicolaus I.
14.	XVIII. Kal.	
15.	XVII.	
16.	XVI.	
17.	XV.	
18.	XIV.	
19.	XIII.	S. Pontianus. Anastasius II.
20.	XII.	
21.	XI.	S. Gelasius I.
22.	X.	
23.	IX.	S. Clemens I.
24.	VIII.	
25.	VII.	Lucius III.
26.	VI.	
27.	V.	
28.	IV.	S. Gregorius III.
29.	III.	Clemens IV.
30.	Prid.	

DECEMBER.

1.	Kal.	Leo X.
2.	IV. Non.	
3.	III.	Anastasius IV.

4. Prid.

DECEMBER.

4.	Prid.	
5.	Nonis.	Ioannes XXI. dictus XXII.
6.	VIII.Id.	Clemens VI.
7.	VII.	
8.	VI.	S. Eutychianus.
		Stephanus VIII. dictus VII.
		Cælestinus II.
9.	V.	Pius IV.
		Clemens IX.
10.	IV.	S. Miltiades.
11.	III.	S. Damasus I.
12.	Prid.	Eugenius II.
13.	Idibus.	Callistus II.
		Innocentius IV.
14.	XIX.Kal.	Formosus.
15.	XVIII.	Ioannes VIII.
		Gregorius VIII.
16.	XVII.	Gregorius VIII. Pseudopontifex.
17.	XVI.	
18.	XV.	
19.	XIV.	Donus II.
		Vrbanus V.
20.	XIII.	Gregorius VI.
21.	XII.	
22.	XI.	Ioannes XXII. dictus XXIII.
23.	X.	
24.	IX.	Christophorus I.
25.	VIII.	
26.	VII.	S. Dionysius.
		S. Zosimus.
		Hadrianus I.

Agape

DECEMBER.

27.	VI.	Agapetus II.
28.	V.	Landus.
29.	IV.	
30.	III.	Innocentius IX.
31.	Prid.	S. Siluester I.
		Cœlius Laurentius Pseudopont.
		Bonifacius VI.
		Gregorius Pseudopontifex.
		Apostolicus Pseudopontifex.

IANVA-

IANVARIVS.

III. NONAS IANVARII.

ROmæ via Appia natalis S. Anteri Papæ in ordine 20. è Magna græcia, patria Petiliani, qui sub Iulio Maximino cum rexisset Ecclesiam mense tantum vno, diebus 24. seu ex alijs mense solum vno, habita Ordinatione vnius Episcopi, capite cæsus Martyrium in Vrbe passus est, anno post Christum natum 238. id vnum in vltimo agone exoptans, plures scilicet animas habere, vt plures per mortes Deo bonum se probaret Pastorem; cuius constantiam Christiani pariter, eorumque hostes admirati maximè sunt. Corpus in Cœmeterio Callisti postea dicto sepultum, inde translatum ad titulum Tigridis, in quo nostra hac ætate iacet. Diuersorum tamen Pontificum dono Ecclesiæ aliæ, nempe S. Siluestri in Campo Martio, & Neapolitana S. Mariæ Sanitatis possident ossa aliqua tanti Pontificis, post cuius obitum vacauit Sedes per dies XIII.

Notæ 3. Ianuarij

Anteri Papæ *successit Pontiano. In actis quibusdam S. Vrsulæ post Pontianum Cyriacus quidam Romanus Pontifex fingitur perperam. Ab alijs Pontiano datur successor, non Anterus, sed Fabianus; Indices tamen Vaticani, ac Scriptores antiqui ferè omnes post Pontianum Anterum sedisse breui quidem tem-*

 pore

pore in Petri *Ctabedra affirmant. Creatus in* Sardi- *nia Infula* xI.Kal. *Decembris anno salutis* 238.*in qua monasticam, seu solitariam duxerat vitam, vnde ab aliquibus natione* Sardus *, patria Calaritanus est dictus*.

, *Meminere Anteri* Pontificis *Martyrologium Romanum, Baronius in Notis & in Annalibus ; liber de Romanis Pontificibus qui fertur sub nomine Damasi* , *Optatus Mileuitanus lib.*2. *contra Parmenianum* , *Augustinus* Epistola 165. *ad Generosum* , *Eusebius in Chronico & in hist. Nicephorus Episcopus in Chronico* , *Panuinius* , *Ciaconius cum suis Auctarijs* , *Amedeus* Placentinus , *Augustinus Tola* , *Ioannes Lepaige* , *Nigraualle* , *Ferdinandus Vghellius in Italia sacra* , *Ioannes Vasaus in Chronico* , *Aloysius Lipomanus* , *Baptista Platina* , Philippus *Ferrarius in* Catalogo SS. *Italiæ* , *Petrus Galesinus* , *Beda* , *Vsuardus* , *Ado* , *Bellinus* , *Maurolicus in Martyrolog.* Io: *Giacchettus in hist. Ecclesiæ S.Siluestri de capite* , *Ludouicus Iacobus à S.Carolo in Bibliotheca* Pontificia , *alijque omnes qui contexerunt historiam Ecclesiasticam* , *ac descripserunt vitas Romanorum* Pontificum.

NONIS IANVARII.

Romæ S. Thelesphori Papæ noni , patria Thuriensis in Calabria , qui sub Antonino Pio , vt muneri satisfaceret suo post multos labores pro confessione Christi illustre martyrium capitis abscissione subijt anno Domini 150. cum

sedis-

ſediſſet annos x. Menſes 8. dies 27. habitis ordinationibus quatuor, quibus Epiſcopos tredecim, Presbyteros duodecim, Diaconos octo ſacro perunxit oleo. Sepultus poſt martyrium in Vaticano, vacauit Sedes per dies ſeptem.

Notæ 5. Ianuarij.

S. Theleſphori. *Anachoretæ filius, alijs ex Anachoreta euulgatus* Pontifex.

Hunc Canonici Regulares & Carmelitæ inter ſuos recenſent.

Clemens VIII. Pont. Max. hac die Theleſphori feſtum reſtituit.

Sunt qui in plures annos huius Pontificis Sedem protrahunt.

Celebrant Sanctum iſtum Antiſtitem *Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in* Annal. *Beda, Vſuardus,* Ado, *liber Romanorum* Pontificum, Irenæus *aduerſus hæreſ. lib.* 3. *Euſebius in Chronico, & in hiſt. Optatus, Auguſtinus locis cit. Nicephorus Epiſcopus in Chronico, Platina,* Panuinius, *Ciaconius, eiuſdemque Auctarij in Vita; Sanderus de viſibili Eccleſiæ Monarchia, Genebrardus in Chronico, Lepaige, Nigraualle, Rogerius, Paulus de Ccira, Breuiarium Carmelitanorum, Carolus Tapia,* Philippus *Metius,* Io: Carthagena, *Caccinus, Bacchot,* Radulphus, *Binius, Lezana, Io; Bollandus, tomo* 1. *Vit. SS. Ludouicus Iacobus à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia, alijque quamplures.*

VII. IDVS IANVARII.

Romæ obitus Ioannis huius nuncupationis sexti, ordine octogesimi sexti, genere Græci, qui cum sedisset annos tres, menses duos, dies duodecim in Petri Cathedra, vnamque Episcoporum 15. Presbyterum 9. & Diaconorum 2. ordinationem habuisset, inter Christianæ religionis hostes fortis athleta è vita migrauit anno Christi 705. sepultus ad Catacumbas S. Sebastiani Via Appia, seu ex alijs in Vaticano; Vacauit post eius obitum Sedes per Mensem & dies duodeuiginti.

Ibidem anno 1138. ex hac vita diuulsus Petrus, Petri Leonis nobilis Romani filius, Presbyter Cardinalis S. Mariæ Transtyberim, qui Petri solium sub nomine Anacleti II. inuaserat, & occupauerat per annos septem, menses vndecim, & dies 22. contra Innocentium II. quo tempore Pseudocardinales XII. euulgauit; sacraque interdixit omnibus sibi contradicentibus; cuius corpus in latebris sine pompa sepultum.

Anno vero ab orbe redempto 1198. in Patriarchio Lateranensi obijt Cœlestinus III. Pontifex in ordine centesimus septuagesimus septimus, patria Romanus, annosus senex, qui annis quinque & sexaginta amplissimis muneribus in Ecclesia, & Pontificatu sex, mensibus nouem, diebus vndecim functus, duodecim enuntiauit Cardinales, Vbaldum Episcopum Eugubinum, & Ioan-

& Ioannem Gualbertum Monachorum Vallis vmbrosæ Institutorem Sanctis adscripsit. Corpus in proxima Basilica conditum; vacauit Sedes per diem vnum, vel duos.

Ibidem è Quirinali Anno seculi decimi septimi, quinto supra quinquagesimum ad meliorem vitam euolauit Innocentius X. patria Romanus, Eugubio in Vmbria oriundus, ex gente nobili Pamphilia, qui Ecclesia Romana per annos decem, Menses tres, diesque viginti & tres, summa prudentia, iustitiaque administrata, Cardinales quadraginta, enuntiationibus octo euulgauit; Iubilæum celebrauit, Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis Propositiones aliquas damnauit, Ecclesiam S. Agnetis à fundamentis restituit, Circum Agonalem, Vaticanam, ac Lateranensem Basilicas ornauit, Catholicosque Hiberniæ fouit; In Vaticano sepulchro temporario traditus, donec à suis construatur honorificum in Ecclesia S. Agnetis. Vacauit post eius obitum Sedes per Menses tres.

Notæ. 7. Ianuarij.

Ioannis VI. *Martyrio affectum Ioannem occubuisse volunt aliqui, cuius obitum Panuinius Idibus, Baronius 4. Idus Ianuarij euenisse scribunt. De Ioanne tractant præter laudatos, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, Andreas Saussay de mysticis Galliæ Scriptoribus, Raimundus, Petrus Ricordatus, & alij.*

Anacletus. *Huic viro nobili fauebant Procerum Romanorum quamplurimi. Vide Panuinium, Platinam, Ciaconium, Baronium, & alios apud illos.*

Cœleſtinus. *Hyacinthus vocatus, nobili familia de Bubonibus, Regionis* Arenulæ, *ex Diacono creatus* Pontifex, *Octogenarius, ex alijs nonagenarius obijt, dicunt enim hi electum Pontificem anno ætatis* 84.

De Cæleſtino agunt Petrus Bleſenſis in Epiſt. Abbas Vrſpergenſis, Cencius Camerarius, Genebrardus, Rogerius in Annal. S. Antoninus in Chronico, Baronius & Spondanus in Annal. *Panuinius, Platina, Ciaconius, eiuſdemque* Auctarij *in Vita, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra. Hippolytus Marraccius in* Pont. *Marianis, Ioannes* Stella, *& alij plures.*

Innocentius. *Io. Baptiſta* Pamphilius *ante Pontificatum nuncupatus Presb. Card.* S. *Euſebij, Camilli ex Flaminia de Bubalis Cancellarijs filius, Hieronymi eiuſdem agnominis Cardinalis nepos.*

Celebrant Innocentium Antonius *Bagata*, *Auctarij* Ciaconij, Fr. *Lucas Vvadingus, Theodorus Amydenus in Vita. Comes Vbaldinus in Oratione funebri*, Aloyſius *Manzinus in Panegyrica, Athanaſius Kircherius in Obeliſco Pamphiliano & alij multi.*

IV. IDVS IANVARII.

Syracuſis anno Chriſti 556. Vigilius nobiliſ-
ſimo

ſimo genere natus, Papa in ordine ſexageſimus, Conſtantinopoli Romam rediens, moritur, habitis Ordinationibus duabus Epiſcoporum 81. Presbyterorum 16. totidemque Diaconorum. Corpus ad Vrbem deductum, ſepultum Via Salaria in Sacello S. Marcelli. Sedit annos 18. Menſes 7. dies 15. cum infulis, quas procurauerat, ſpinas colligens acutiſſimas, quas neque fuga declinare valuit. Eo mortuo vacauit Sedes per dies quinque ſupra Menſes tres.

Eadem die Anno Chriſti 682. Romæ obijt Agatho huius nominis primus, ordine octogeſimus Pontifex, natione Siculus, patria Panormitanus, qui tantæ ſanctitatis fuit, vt leproſum obuiam factum, oſculo ſanauerit, tantæque manſuetudinis, & humanitatis vt neminem à ſe vmquam triſtem toto ſui Pontificatus tempore, annorum ſcilicet duorum, Menſium ſex, dimiſerit. Vnam habuit Ordinationem Epiſcoporum 18. Presbyterorum x. Diaconorum 3. Sepultus ad S. Petrum; Vacauit poſt eius obitum Sedes Menſibus ſeptem.

Notæ. 10. Ianuarij.

Vigilius. *huius ingreſſus in Pontificatum parum legitimus fuit, nam Siluerio viuente per vim illum inuaſit, erat enim Ioannis Conſulis filius. Poſt Silueri obitum vltrò occupatum imperium dimiſit, eumdemque paulò poſt legitimis Comitijs recepit. Captiuus*

ptiuus ductus Constantinopolim, *Theodora* Augustæ *iussu, à qua paulò post libertate donatus, cum Vrbem repeteret, calculi morbo è viuis abijt*. Corpus *primùm in Via* Salaria, *deinde in Vaticano conditum*.

De Vigilio scripsere Marius Episcopus in Chronico, Auctor *Appendicis ad Marcellini* Chronicon, *Baronius in Annal. Procopius lib.3. de bello Gothorum*, *Photius epist. ad Michaëlem Bulgariæ Principem*, *Platina*, *Panuinius*, Ciaconius *cum Auctarijs in* Vita, *& alij multi*.

Agatho. *in Castro Vallis vlterioris* Aprutij, *natum alij dicunt*. *Est* Panormi Patronus, *cuius festus dies colitur 9. Iulij. quatuor annos sedisse Rocchus* Pyrrhus *scribit*; Panuinius *ad sextum eiusdem* Pontificatum *protrahit*.

S. *Agathonis meminere Martyrologia*, *Romanum*, *Galesini*, *Græcorum 20. Februarij*, Maurolyci, *Germanici*. *præterea Baronius in* Notis, *& in Annal. Hugo Floriacensis Abbas in* Chronico *Virdunensi*, Paulus *Diaconus de gestis Longobardorum*, Io: *Bollandus Tomo* 1. *Vitæ* Sanctorum; Carthusiani Colonienses *in* Addit. *ad* Vsuardum, *Hugo* Menardus, *Arnoldus* Vuion, *Dorganius*, *Octauius* Caëtanus *in SS. Siculorum* Vitis, Philippus *Ferrarius*, *Franciscus* Scortius, Platina, Panuinius, Ciaconius *cum Auctarijs in* Vita, *& quamplures alij apud eosdem*.

III. IDVS IANVARII.

Romæ anno Domini 154. S. Hygini Papæ numero decimi, natione Græci, in persecutione Antonini Martyrium passi, cum Ordinationes tres celebrasset, quibus Episcopos sex, Presbyteros quindecim, Diaconos quinque, annorum trium, Mensium vndecim, dierumque duodetriginta spatio creauerat, Sepultus in Vaticano iuxta corpus B. Petri; plauserunt Angeli Hygini funeri, hos hodie rariùs audimus, quia aures nostræ Sirenum sibilis occupatæ, Angelis non patent. Vacauit post huius Sancti obitum Sedes dies tantùm tres.

Eadem die anno salutis 1276. Aretij in Etruria obitus Gregorij X. Pontificis in ordine centesimi octogesimi sexti, qui ante Pontificatum dictus Theobaldus Vicecomes, Ciuis Placentinus, claruit in omni vita, prudentia, rerum gerendarum, animique constantia, & post obitum miraculis, quare Mortuo Angeli & homines cecinere Lessum. Sedit in Petri Cathedra, ad quam promotus absens, annis quatuor, totidem mensibus, ac decem diebus, quo tempore septem euulgauit Cardinales. Corpus iacet in Cathedrali Aretina; vacauit Sedes per dies decem.

Notæ 11. Ianuarij.

S. Hygini. *è numero Martyrum Hyginum nonnulli*

nulli excludunt, ea sola ratione quòd Antoninus Pius *fuerit* C*hristianis æquissimus.* V*ndecim vixisse annos in* Pontificatu *illum scribunt, alij supra duodecim, Menses tres, & dies sex, & alij ad decimum sextum peruenisse volunt.*

Huius Sancti *memoria antiquitus 3. Kal. Fsbruarij celebrabatur.*

Meminere Hygini Pontificis *Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in* Annal. *Beda sub die* 10. *Ianuarij; liber Romanorum* Pontificum; *Irenæus lib.* 3. *cap.*3. *Epiphanius in* Panar. *hæres.* 27. *Eusebius in* Chron. *& in hist. Optatus lib.* 2. *contra* Parmen. *Augustinus epist.* 74. Cyprianus, Platina, Panuinius, Ciaconius *cum* Auctarijs, *Ioannes Bollandus in* Vita, *Molanus, & alij.*

Gregorij. *Cum* Comitia *non sine maximo totius Reipublicæ* Christianæ *malo, & incommodo in longum protraherentur, hanc deligendi* Pontificis *rationem* Cardinales *inierunt, vt compromissum in sex eorum ea lege fieret, vt intra triduum quinque, vnum ex sex, vel omnes alienum quempiam vel intra, vel extra* Collegium Pontificem *renunciarent; suasu igitur* S. *Bonauenturæ Ordinis Minorum Generalis Ministri acclamatus est* Pontifex *Thedaldus seu Theobaldus* V*icecomes absens, erat enim trans mare in* Syria *apud* Ptolemaidem, *cum Eduardo primogenito Regis Anglorum in obsequium fidei* C*hristianæ. Sunt qui menses tantùm duos supra quadriennium cum decem diebus,* G*regorio tribuunt in* Petri *Sede.*

Affirmant nonnulli diuinos honores Gregorio mi-

racu-

raculis claro tribuisse Innocentium V. *successorem in Pontificatu, cuius imagines tum Placentiæ, cum Aretij diademate ornatæ publicè sunt expositæ.*

De Gregorio scripsere Anonymus Auctor, Siluester Petra*sancta*, Petrus *Maria Campi, Ciaconius, eiusdemque Auctarij*, Io: *Bollandus in Vita*, Io: *Franciscus* Panuinius *in relatione* Canoni*zationis, Ferdinandus Vghellius in* Italia *sacra*, Io: *Molanus de Sanctis Belgij*, Ptolomæus *Lucensis, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Eberardus Archiepiscopus Ratisbonensis in* Chronico, *Matthæus Vvestmonasteriensis*, & *alij omnes, qui historias tum sacras, cum prophanas illius seculi enarrârunt.*

IDIBVS IANVARII.

Lausanis anno salutis 1450. Felix IV. dictus V. Sabaudus abdicato priùs Pontificatu, quem in Schismate rexerat per annos nouem, Menses quinque, dies 7. cum enunciatione Cardinalium 26. Episcopus Cardinalis Sabinus, Collegij Cardinalium Decanus, & perpetuus totius Germaniæ legatus, sanctitate illustris beato fine quieuit, ibique in Cathedrali sepultus.

Notæ 13. Ianuarij.

Felix. *Amedeus primus dux Sabaudiæ, Amedei Comitis filius absens à* Patribus Concilij *Basileensis contra Eugenium* IV. *electus, pacis amator* Pontificatum *abdicauit tumulatus ex aliquibus Ripaliæ. de*

illo

illo Acta Concilij Basileensis, Annales Ecclesiastici, Romanorum Pontificum Vitarum Auctores, & Historici omnes, qui res seculi decimi quinti pertractarunt.

XVII.KAL. FEBRVARII.

Romæ memoria S. Marcelli Papæ in ordine trigesimi primi, patria Romani, anno nostræ salutis 310., seu 309. sub Maxentio Tyranno in seruitio non animalium, sed Dei, quem inter animalia inuenit propitium, defuncti, cum præfuisset Ecclesiæ annos quinque, Menses sex, dies vnum & viginti, cumque Episcopos 21. Presbyteros 25. Diaconos 2. euulgasset. cuius Corpus à B.Lucina sepultum in Cœmeterio Priscillæ via Salaria, post cuius obitum vacauit Sedes per dies viginti.

Notæ 16.Ianuarij.

S. Marcelli. *Benedicti filius de regione septima viæ latæ ex Presbytero Cardinali renuntiatus Pontifex, cui S. Damasus Epitaphium concinnauit. ex Cœmeterio Priscillæ huius Sancti Corpus deductum ad Vrbem sub Paschali I. conditum in Ecclesia suo nomini sacra. Sunt, qui dicunt, translatum in Hispaniam. Asceta Altimontenses iuxta Malbadium oppidum ad Sabim fluuium in Belgio, huius Pontificis ossa à mille circiter annis possidere gloriantur; fortasse illorum partem concedentibus Romanis Pontificibus ad vtramque Prouinciam transuectam.*

Cele-

Celebrant Marcellum Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annalibus, Beda, Græci in Menologio, qui eum cum Marcellino confundunt, liber Romanorum Pontificum inscriptus Damasus, *Optatus Mileuitanus lib.2. contra Parmen. Augustinus epist. 165. Petrus Mauriacenus cognomento Venerabilis Aruernus, Vrsio* Abbas *Altimontensis, Panuinius, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, Ioannes Bollandus, Andreas Duchesnius, Andreas Saussay, Franciscus Castillioneus Abbas Cluniacensis in Vita, Ludouicus Iacobus à S.Carolo in Bibliotheca Pontificia, & alij.*

XVI. KAL. FEBRVARII.

Anno salutis 689. Paschalis ex S.R.E.Archidiacono Pseudopontifex, magices accusatus, & conuictus, vt sacrilegus non modò dignitate, quam iniustè vsurpauerat, sed etiam Archidiaconatu spoliatus, in Monasterium pœnitentiæ causa detruditur, in quo post qinquennium eadem pertinacia vsus, moritur.

Notæ. 17.Ianuarij.

Paschalis. *contra Sergium* I. *Pontificem, & Theodorum Pseudopapam stetit. De hoc tractant* Ciaconius, Panuinius, *Baronius, & alij in actis Sergij.*

XV.KAL.

XV. KAL. FEBRVARII.

Romæ anno salutis humanæ 884. Constantini Marini, Pontificis in ordine centesimi decimi, natione Falisci, obitus; cum Comitum Tusculanorum potentia fretus rexisset Ecclesiam Catholicam vnius tantum anni, vniusque mensis spatio. Corpus sepulturæ datum in Vaticano, vacat post eius obitum Sedes per dies duos.

Notæ 18 Iannarij.

Constantini Marini. *malè alij Martinum natione Gallum legunt; ex Diacono Cardinali malis artibus Summum Pontificatum adeptum dixere Platina, & Genebrardus; ab alijs tamen, quia contra Photium stetit, laudatur.*

S. Antoninus supra annum Manses 4. Panuinius 2. huius Sedi tribuunt. de illo Baronius in Annalibus, Auctor Romæ subterraneæ, Historiæ Briani, & Doglioni, Faustus Verdellius de success. Eccl. Ferdinandus Vghellius in Italia sacra; Annales Fuldenses, Stephanus Papa in literis ad Basilium Imp. Ciaconius eiusdemque Auctarij, ac alij plures tractarunt.

XIII. KAL. FEBRVARII.

Romæ natalis S. Fabiani, alijs Fabij, seu Flauij Papæ in ordine vigesimi primi, qui tempore Decij, anno videlicet Christi 253. martyrium

rium passus est, habitis quinque Mense Decembri ordinationibus. quibus Episcopos XI. Presbyteros XXIII. Diaconos VIII. consecrauit spatio annorum 15. ac dierum 4. quo Petri nauiculam rexit, huius nomen Romani ad Decium pietatis hostem delaturi, hæc accusationis capita habuere, templa quotidie frequentare Christianorum, publicè exercere magisterium, eloquentiaque corrumpere populares. Corpus sepultum in Cœmeterio Callisti via Appia, tertio ab Vrbe milliario. vacauit Sedes post huius obitum per dies 4. supra annum vnum.

Notæ. 20. Ianuarij.

S. Fabiani. *fuit Fabij Romani filius, & S.R.E. Presbyter Cardinalis, occubuit martyrio coronatus, certò tamen non scimus mortis genus. Sedit ex Baronio, Ciaconio, Panuinio, & alijs annis 15. diebus 4. ex Beda, & Adone annos 14. Menses 11. dies 12. ex Eusebio, Vsuardo Menses 11. ex Luitprando mensem vnum, dies 11. supra annum 13. ex Rabano verò Notkero, & alijs annos 25. sed mala computatione.*

Corpus è Cœmeterio Callisti à Sergio iuniore Pontifice translatum volunt aliqui ad Titulum Equitij.

Præter laudatos celebrant Fabianum. Martyrologium Romanum, Menologium Græcorum, liber Romanorum Pontificum inscriptus, Damasus, Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmen. Augustinus

Epist.

Epist. 165. *Nicephorus Episcopus in* Chronico, *Cedrenus, Zonaras, Ruffinus, Lepaige, Nigrauallc, Galesinus, Ferrarius,* Petrus *de Natalibus,* Io: *Bollandus & alij plures.*

XII. KAL. FEBRVARII.

Romæ anno à partu Virginis 1118. obitus Paschalis huius nominis II. in ordine centesimi sexagesimi secundi Pontificis, natione Itali, qui Ecclesiam per annos duodeuiginti, menses quinque, dies nouem, forti pectore rexit, eamdemque enuntiatione nonaginta trium Cardinalium, & celebratione plurium Conciliorum stabiliuit ac sepsit contra inuasores. Sepultus in Basilica Constantiniana, & per triduum vacauit post eius obitum Sedes.

Notæ. 21. Ianuarij.

Paschalis. *ante* Pontificatum *Renatus, seu Raynerius in Tuscia, alijs in Emilia, nobili familia genitus. Tria teste* Ciaconio, *duo ex* Panuinio *tempore Quadragesimæ in Basilica* Constantiniana *celebrauit* Concilia, *& interfuit Guastauallensi.*

Meminere Paschalis *Baronius in* Annalibus, *Domnizo in* Vita *Mathildis,* Vuillelmus *Tyrius de bello sacro,* Iuo *Carnotensis in Epist. Illescas,* Panuinius, Ciaconius *cum* Auctarijs *in* Vita. *Romanus* Canonicus *in descriptione Basilicæ* Vaticanæ, *Paulus de Angelis ibidem, Ioannes Stella,*

S. An-

S.Antoninus, Historiæ Ecclesiæ S. Siluestri Auctor, & Historici omnes qui res seculi duodecimi enarrarunt.

X. KAL. FEBRVARII.

Anno Christi 828. quadragesimo Pontificatus die, Romæ moritur Valentinus, patria Romanus, Leontij filius; in ordine Pontifex centesimus secundus. sepultus post obitum in Basilica Vaticana, conquerentibus omnibus tantum Pontificem intempestiuè sublatum, quo stante labefactari Romana libertas, & Christiana Religio vix poterat. vacauit Sedes per tres dies.

Notæ. 23. Ianuarij.

Valentinus. *ex Archidiacono S.R.E. renuntiatus Pontifex, Leontij, seu Petri Leontij filius, de regione via latæ* 30. *seu* 40. *ab electione die mortem oppetijt, erat magnæ sanctitatis vir, quem celebrant Panuinius, Anastasius Bibliothecarius, Ciaconius cum Auctarijs, Baronius in Annalibus, qui scribit obijsse anno* 827. *& alij.*

IX. KAL. FEBRVARII.

Benedictus IX. dictus X. patria Romanus, qui Petri Cathedram laicorum opera inuaserat, cum per menses 9. & dies 20. Ecclesiam oppressisset, hac die anno Domini 1060. ad Nicolaum II. legitimum Pontificem accedens, præteritorum veniam suppliciter petens, absolutio-

nem obtinuit, animi tamen mœrore confe-ctus, paulò post apud Basilicam Liberianam moritur.

Nota. 24. Ianuarij.

Benedictus. *Velitris oriundus, ante occupatum Pontificatum Ioannes Mincius vocatus, Episcopus Veliternus, & Cardinalis, Patrem habuit Guidonem ex Tusculanis & Galeria Comitibus, primarium in Vrbe hominem.*

Meminere Benedicti Petrus Damianus in Epist. Lambertus Schafnabergensis, Hermannus Contra-ctus, Leo Ostiensis in hist. Cassinen. Baronius in Annalibus, Panuinius, Ciaconius, alijque apud eos-dem.

VIII. KAL. FEBRVARII.

Romæ anno post Christum natum 817. obi-tus Stephani Pontificis, huius nominis quinti, in ordine nonagesimi noni, Marini filij, nobili genere nati, qui sub sanctissimo viro Hadriano educatus, rationem bene, ac beatè viuendi di-dicerat, quique in regimine Ecclesiæ per men-ses sex, diesque 23. vnica Ordinatione Episco-pos 5. Presbyteros 9. Diaconos 4. sacro inunxe-rat oleo. Sepultus in Vaticano, vacauit Sedes per dies duos.

Ibidem anno salutis 843. è vita migrauit Gre-gorius huius nuncupationis quartus, in ordine centesimus tertius Pontifex, ex Monacho Mo-nasterij Fossænouæ sub Regula S. Benedicti, do-

ctrina

ctrina & pietate præstans singulari, qui spatio sexdecim annorum, Petri nauim ad salutis portum direxit, celebratis ordinationibus quinque, institutoque, Omnium Sanctorum, ac Sanctissimæ Trinitasis festo. Sepultus in Vaticano vacauit Sedes dies 15.

Notæ. 25. Ianuarij.

Stephani. *ex Diacono Cardinali à Leone III. euulgato, renuntiatus* Pontifex, *vt Ludouicum* Im*peratorem de more consecraret, post duos à sua electione* Menses, *itineri se dedit Galliam versùs. at Mense Februarij, tertio post quam Romam redierat, nondum transacto, obijt.*

De Stephano scribunt Panuinius, Ciaconius *eiusdemque* Auctarij *in* Vita, *Baronius in Annalibus,* A*nastasius Bibliotbecarius, Theganus Treuirensis.* C*orepiscopus, alijque quàmplures.*

Gregorius. *Sunt, qui volunt Gregorium, supremum diem obijsse anno salutis* 844. *sed malè; si enim eo anno ad Superos euolasset, non sexdecim, sed decem & septem vixisset in* P*ontificatu annis.*

A' *veritate quidem aberrant illi, qui Gregorium dicunt,* III. *mandasse festum omnium Sanctorum celebrari. Huic, vti etiam Bonifacio* IV. *Epitaphium commune posuit Bonifatius* VIII.

Laudant Gregorium Theganus de gestis Ludouici Pij, *Nithardus in historia, Rabanus,* A*nastasius Bibliothecarius,* A*damus Bremensis,* A*lbertus Crantzius, Binius, Baronius in* A*nnal.* Panui-

 nius,

nius , Ciaconius cum Auctarijs in Vita , Ludouicus Iacobus à S. *Carolo in Bibliotheca Pontificia , Gaulterius in Tabul. Chronolog. & alij plures.*

VI.KAL. FEBRVARII,

Romæ anno à partu Virginis 672. felix exitus S. Vitaliani, natione Itali, patria Signini, qui in virtutis premium infula pontificia ornatus, septuagesimus septimus Vicarius Christi, per annos quatuordecim Menses quinque, diesque 29. Rempublicam Christianam sanctissimè administrauerat, habitis Ordinationibus quatuor, Episcoporum 97. Presbyterorum 22. Diaconorum decem. Sepultus post obitum in Vaticano, vacauit Sedes per Menses duos, diesque 14.

Notæ. 27.Ianuarij.

S. Vitaliani. *natum aliqui dicunt in Suernia Castro Aprutij, ac sedisse menses tres, diesque 27. supra annum decimum quartum, ac obijsse anno 670. aberrant prorsus à veritate illi, qui tantum annos nouem, menses sex, ac dies 21. Vitaliani Sedi tribuunt. huius nomen à sacris dipticis Hæreticorum opera erasum, restituit Sacra Synodus.*

Est Vitaliani mentio apud Martyrologia, Romanum, Galesini, Ferrarij, Bedæ, Vsuardi, Canisij, ac Coloniense; insuper apud Baronium in Notis, & in Annalibus, apud librum Romanorum

rum Pontificum, Genebrardum in Chronico, Binium in Conciliorum notis, Ciaconium, eiusdemque Auctarios, Panuinium, *Bollandum in Vita, & alios plures*.

V.KAL. FEBRVARII.

Anno ſeculi decimi ſeptimi vigeſimo primo, Romæ Paulus V. ante Pontificatum dictus Camillus Burgheſius, patria Romanus, in ordine Pontifex ducenteſimus trigeſimus ſeptimus, perpetua vitæ innocentia, ac ſpectata virtute inſignis, cum Vrbem magnificentiſſimis ædificijs adornaſſet, ſacramque purpuram Viris ſexaginta tradidiſſet, Sanctis Carolum Cardinalem, & Franciſcam Viduam Romanam, Beatis verò Peregrinum Seruitam, Ignatium Soc. Ieſu Fundatorem, ac Franciſcum Sauerium Indiarum Apoſtolum adſcripſiſſet, per annos 15. Menſes 8. & dies 13. Eccleſiæ vniuerſali præfuiſſet, omnium dolore è mortalibus raptus, iacet in Baſilica Liberiana, apud Virginem Mariam quam viuens ſemper coluerat, & in eius honorem perpulchrum Sacellum erexerat. Vacauit poſt eius obitum Sedes per dies 12.

Notæ. 28.Ianuarij.

Paulus V. *Romanus Senis oriundus, obijt ex alijs die 22. huius Menſis*.

De Paulo tractant Bzouius, Lucas Vvadingus, Ferdinandus Carolus, Auctarij Ciaconij in Vita.

Ioannes Coluillus in eius inauguratione, Petrus Courcier Soc. Iesu in Opere Mariano ad annum 1621. Henricus Spondanus in Annalibus, Leo Allatius de ædificijs Pauli, Marcellus Pallonius *in Oratione funebri, Paulus de Angelis in descriptionibus Basilicarum* Vaticanæ *ac* Liberianæ, *Panuinius, Ludouicus Iacobus à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia, Henricus Chiffelius, Hippolytus Marraccius in Pont. Marianis, & in Bibl. Guido Cardinalis Bentiuolus in Memorijs historicis, & alij plures.*

IV.KAL. FEBRVARII.

In Monasterio Cluniacensi anno à Christi natiuitate 1119. iuxta normam monasticam, & pietatem Christianam strato terræ corpore, spiritu Cœlum petijt Gelasius II. Pontifex ordine sexagesimus tertius supra centesimum, patria Caietanus, Monachus Cassinas, vir omni laude dignimus, Schismaticis inuisus, à quibus ab Vrbe eiectus, cum rexisset Ecclesiam per dies quatuor supra annum vnum, sacroque Cardinalium Collegio vnum tantùm Diaconum adiunxisset, iacet ibidem in marmoreo sepulchro.

Notæ. 29. Ianuarij.

Gelasius. *non II. sed III. hunc aliqui nominant, quòd Pelagium* I. *Gelasium* II. *malè appellassent. à Paschali* II. *ex Monacho Diaconus Cardinalis enuntiatus, Gallias ad euitandas Schismati-*

corum

corum insidias petijt, at in itinere pleuritide correptus, lectica se Cluniacum perferri iussit, vbi extinctus. Petrus Pictauiensis præsens Epitaphia tum vincta, tum soluta oratione illi panxit, ac dicit non absoluisse in Pontificatu annum.

De Gelasiò cum laude agunt Pandulphus Pisanus, Papyrius Massonus, Ioannes Stella, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Platina in Vita, Guillelmus Tyrius in historia Belli sacri, Conradus Abbas Vispergensis, Franciscus Ioannettus, Genebrardus, Martyrologium Benedictinorum, Nicolaus Rosellus Card. in Regist. rerum Pontificiarum, Petrus Diaconus de Viris illust. Monasterij Cassinensis, Arnoldus Vvion in Ligno vitæ, Ioannes Trithemius de viris illustribus, & alij plures.

PRIDIE KAL. FEBRVARII.

Romæ hac die Stephanus huius nuncupationis quartus, alijs Tertius, numero nonagesimus sextus, verus Petri successor, ac Christi imitator, ordinatione vna Mense Decembri facta Episcoporum aliquot, Presbyterorum quinque, Diaconorum quatuor, cum sedisset in Petri Cathedra annos tres, Menses quinque, dies 27. anno salutis 772. obijt. Sepultus ad Sanctum Petrum, vacauit Sedes per dies 8.

Notæ 31.Ianuarij.

Stephanus. *natus in Tossinæ Castro* Vallis *Sicilianæ in vlteriori Aprutij* Prouincia, *patre Olybrio Rosamirano, ex alijs Syracusis, seu Romæ, oriundus ex Aprutio, fuit Monachus, & Abbas* S. *Benedicti Congregationis Cassinensis, coacta* Sy*nodo legem tulit, vt quolibet die Dominico à septem Episcopis Cardinalibus* Mi*ssarum solemnia super altare B.Petri peragerentur. obijt aliquorum sententia ipsis Kalendis Februarij.*

De illo Fredegarius Scholasticus in Chronico, Anastasius Bibliothecarius, Eginhardus, Baronius in Annalibus; Theganus de gestis Ludouici Pij, Annales Fuldenses, S. Antoninus, Panuinius, *Ciaconius cum* Auctarijs, *alijque omnes, qui de Romanis Pontificibus tractarunt.*



FEBRVA-

FEBRVARIVS.

VI. IDVS FEBRVARII.

PElagius iunior, seu secundus, in ordine Pontifex sexagesimus quartus, patria Romanus, genere Gothus, cum sedisset Menses duos, diesque 27. supra annos duodecim, cumque duabus Ordinationibus Episcopos 48. Presbyteros 82. Diaconos 8. consecrasset, anno salutis 590. ex peste in Vrbe perijt. Sepultus ad S. Petrum, vacauit Sedes per Menses sex, & dies 27.

Notæ. 8.Februarij.

Pelagius. *electus inconsulto* Imperatore *studuit radicitus euellere schisma in Occidente ortum, ob damnationem trium Capitulorum. sunt in errore illi, qui huius Pontificis sedi annos dumtaxat decem, vti etiam illi, qui quatuordecim tribuunt.*

Est huiusce Pontificis mentio apud Baronium in Annalibus, Panuinium, *Ciaconium, eiusdemque* An*ctarios in Vita; apud Euagrium, S. Gregorium in* Epist. *& in Dialog. Gregorium Turonensem in hist. S.* Antoninum *in Chron. Sigebertum,* Petrum *Ricordatum in historia Monastica, & apud illos omnes, qui historiam Ecclesiasticam, aut Pontificiam compilarunt.*

V. IDVS FEBRVARII.

Anno à partu Virginis 1103. Siluester IV. Pseudopontifex à Paschali II. Pontifice ab occupata Sede exactus, bonisque omnibus publicatis, haud ita longè moltò post graui morbo decubuit, & animi dolore affectus, morte sua finem longo, & periculoso schismati in Ecclesia Romana attulit.

Notæ. 9. Februarij.

Siluester. *Maginulphus antea vocatus Abbas Farfensis.*

De illo Ciaconius, Panuinius, Baronius, & alij.

IV. IDVS FEBRVARII.

Hac die Romæ anno salutis 995. obitus Ioannis huius nominis 15. ordine centesimi, quadragesimi primi Pontificis, patria Romani, ex legitimo matrimonio, Leonis Presbyteri filij, virtutumque omnium ex asse hæredis, qui Rempublicam Christianam fame, ac peste afflictam, per annos nouem, menses sex, dies decem sanctissimè, sed non sine æmulis rexerat. Sepultus ad S. Petrum, vacat Sedes per diem vnum.

Notæ

Notæ. 10.Februarij.

Ioannis. *huiusce Pontificis obitum ad nonas Maij anni 996. referunt aliqui, ac sedisse volunt in Petri Cathedra Menses aliquot, supra annum decimum.*

Hic omnium primus fuit qui Affinibus Ecclesiæ bona sit largitus, quare à Clericis odio habitus.

De illo tractant Panuinius, S. Antoninus, Baronius in Annal. Ciaconius, eiusdemque Auctarij, Ioannes Stella, Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi, alijque omnes, qui historias seculi decimi elucubrarunt.

III.IDVS FEBRVARII.

Romæ anno à partu Virginis 716. è vita excessit Constantinus huius nuncupationis primus, ordine Pontifex octogesimus nonus, natione Syrus, Ioannis filius, qui licet throno emineret, omnium tamen semper se humillimum gessit, & in annonæ charitate nihil prætermisit officij in pauperibus, quos vnicè diligebat, subleuandis. Præfuit Ecclesiæ per mensem vnum, diesque 20. supra octauum annum, vnaque ordinatione Episcopos 64. Presbyteros 10. Diaconos aliquot euulgauit. post obitum sepultus ad S. Petrum, vacauit Sedes Mense vno, diebus decem.

Ibidem anno 731. supremum diem explicuit Gregorius II. patria Romanus, Marcelli filius,

filius, ex Monacho S.Benedicti, Diaconus Cardinalis, atque ex Diacono Pontifex ordine nonagesimus, Constantini superioris successor, postquam rexisset Ecclesiam per annos 14. Menses 10. dies 21. promotis ad Episcopatum ex Platina, 147. ex Panuinio 149. ad Presbyteratum 35. & ad Diaconatum 14. hic ne incerta mortis hora illum falleret, omnem credebat diem sibi diluxisse supremum. Tumulatus in Vaticano, vacauit Sedes per dies 21.

Notæ. 11. Februarij.

Constantinus. *sedit ex Panuinio mensem vnum, & dies 20. non supra octauum vt diximus; sed supra septimum annum, ex Baronio verò Mensem, & diem vnum, supra sextam.*

Constantini acta referunt Anastasius *Bibliothecarius, Sigebertus, Genebrardus in Chronico, Ciaconius & Auctarij, Hieronymus Rubeus in hist.* Rauennæ, *Platina,* Andreas *Duchesnius, Iacobus Suuertius, Ioannes* Stella, *& reliqui omnes, qui de Romanis Pontificibus scripserunt.*

Gregorius. *Martyrologium Romanum Idibus Februarij huiusce Pontificis memoriam celebrat; Sedit ex Panuinio annos* 15. *Menses* 10. *dies* 21. *seu ex* S. Antonino, *annos* 17. *Menses* 9. *vel affirmante Baronio, Menses* 8. *diesue* 20. *supra annum* 16.

De illo Beda, Ado, *Hadrianus Papa epist. ad* Carolum Magnum, Acta *Concilij Nicani secundi,*

acta

acta S. Bonifacij apud Surium, Tomo 3. Panuinius, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, Anastasius, & alij plures, qui tum de Sanctis, cum de Romanis Pontificibus scripserunt.

PRIDIE IDVS FEBRVARII.

Anno salutis 387. è viuis excessit Vrsicinus Romanus, non virtutibus quas numquam de facie agnouit, sed vitijs sibi familiaribus notissimus, qui pluries Ecclesiam turbauerat, contra Damasum scilicet, & Siricium successorem, Pontifices legitimos, contra quos, nonnullorum Seditiosorum opera Petri Cathedram inuaserat.

Notæ. 12. Februarij.

Vrsicinus. *ex Diacono Cardinali in Schismate euulgatus* Pontifex. *de quo Panuinius, Ciaconus, cum Auctarijs, & alij plures.*

XIV. KAL. MARTII.

Anno salutis humanæ 1130. Honorius II. ordine centesimus sexagesimus quintus Pontifex, patria Bononiensis ex nobili familia Fagnana, seu Scanabecca natus, cum per mensem vnum, diesque decem & septem, supra quinquennium Ecclesiam rexisset, tribusque enuntiationibus Cardinales 25. euulgasset, apud Monasterium Sanctorum Andreæ, & Gregorij

gorij ad Cliuum Scauri viam vniuersæ carnis ingressus est. in Lateranensi Basilica marmoreo pilo sepultus. Vacauit Sedes per diem vnum.

Notæ. 16. Februarij.

Honorius. *Ante Pontificatum Lambertus Fagnanus nuncupatus.*

Errat Franciscus Cauazzonius in sua Tabula Pontificum, & Cardinalium Bononiensium, in qua dicit, Honorium hunc electum fuisse Pontificem anno 1099. *ac mortuum* 1130. *consequeretur ex ipsius dictis, sedisse annos triginta & vnum. Baronius scribit non hac die, sed* 16. Kal. *Martij anno* 1130. *Honorium decessisse.*

Meminere huiusce S. Antoninus, Ioannes Stella, Carolus Sigonius, Ferdinandus Vghellius, Pandulphus Pisanus, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Platina, & alij plures, ad illum sunt S. Bernardi Claraeuallensi, Hugonis Episcopi Gratianopolitani, Hildeberti Archiepiscopi Turonensis, Stephani Abbatis Cisterciensis, literæ.

XII. KAL. MARTII.

Anno à partu Virginis 998. è vita excessit Gregorius huius nuncupationis V. in ordine 143. Pontifex Romanus, natione Saxo, Othonis Saxoniæ & Sueuiæ Ducis filius, qui Othonem Cæsarem, & Mariam coniugem imperiali diademate in Vaticano de more cinxit, Ecclesiæque

fiæque iura forti pectore contra Pseudopontificem sustinuit spatio annorum duorum, mensium quinque, & dierum quatuor & viginti, quo Petri naviculam rexit. post obitum sepultus in Vaticano iuxta sepulchrum B. Gregorij. Vacauit Sedes dies 15.

Notæ. 18. Februarij.

Gregorius. *Cum Crescentij Tyrannidem sustinere nequiret, Vrbe egressus, in Etruriam primò, deinde in Germaniam se recepit, iniurias apud Cæsarem deploratum, opemque afflictis Ecclesiæ rebus petitum.* Venit *Otho Cæsar cum exercitu, Romam expugnauit, & Gregorium* Vrbi *restituit, qui non, vt scribit Panuinius,* Menses *tantùm septem, & dies 25. neque annos duos, Menses septem, dies 18. vt refert Ciaconius, sed vt diximus superiùs, annos duos,* Menses *5. dies 24. præfuit Ecclesiæ, tot enim Anni,* Menses, *& dies nec plures, nec pauciores intercessère ab electione ad obitum illius, post quem vacauit* Sedes *ex Panuinio* Menses 8 *dies 10.*

Meminere Gregorij Martinus *Polonus, Io:* Stella, Io: de *Columna, Guillelmus Bibliothecarius, Ptolomæus Lucensis, Franciscus Petrarca, Platina, Simoneta, Niemus, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius in Vita. Baronius in Annal. S. Antoninus in Chronico, Marraccius in Pontif.* Marianis, *& Historici omnes, qui seculi decimi res attigerunt.*

XI. KAL.

XI.KAL. MARTII.

Romæ apud Lateranum anno à Christo nato 605. obitus Sabiniani Pontificis, ordine sexagesimi sexti, natione Tusci, patria Blerani, à D. Gregorio decessore, quia post trinam admonitionem non cessabat à calumnijs, in capite percussi, cum per Menses quinque, diesque vndeuiginti in Petri Cathedra sedisset, ac vnicam ordinationem Episcoporum 26. celebrasset. post obitum sepultus in Porticu Vaticanæ Basilicæ, vacauit Sedes vno tantùm die.

Notæ. 19. Februarij.

Sabiniani. *Sunt qui eiusdem funus ad 27. huius Mensis diem referunt.*

Agunt de Sabiniano Baronius in Annalibus, *Panuinius*, Ioannes *Stella*, *Ciaconius cum Auctarijs*, *Platina*, *Romanus Canonicus in Descriptione Basilicæ Vaticanæ*, *Brandus in Chronologia* Romanorum *Pontificum*, S.*Antoninus*, *& alij omnes qui* Vitas, *seu* Catalogos *Summorum* Pontificum *contexuerunt*.

IX.KAL. MARTII.

Romæ anno salutis 1431. è mortali vita discessit Martinus III. dictus V. patria Romanus, Agapeti Columnæ Reguli filius, suorum temporum felicitatis, Pontifex ordine ducentesimus

simus decimus, electus in Constantiensi Concilio, nationum omnium suffragio, sublatis tribus Schismatis teterrimi capitibus, Ecclesiæ pace data, euulgatis viginti tribus Cardinalibus, Pontificatus sui anno 13. mense 3. die 12. ætatis 63. sepultus in Basilica Constantiniana, ante capita Apostolorum. vacauit Sedes per dies decem.

Eadem die anno 1513. in Vaticano decubuit Iulius II. Pontifex in ordine ducentesimus vigesimus, domi, forisque clarissimus, septuagenario maior, natione Ligur, patria Sauonensis, cum præfuisset Christianæ Reipublicæ annorum nouem, mensium trium, dierum 21. spatio, ac septem supra viginti præstantes viros, sex ordinationibus inter Cardinales cooptasset: cuius corpus iacet in Vaticano, licet habeat sepulchrum nobilissimum in Titulo Eudoxiæ. Vacat post eius obitum Sedes dies 10. alijs 18. vel 23.

Notæ. 21. Februarij.

Martinus. 28. *Cardinalium, & 30. Prælatorum., nationum quinque suffragijs, Otho de Columna Diaconus Cardinalis renuntiatus Pontifex, dictus Martinus, quia euulgatus die S. Martino Episcopo Turonensi sacra, Iubilæum celebrauit, Arces multas à Tyrannis occupatas expugnauit. Defunctum Martinum alij volunt 7. Kal. Martij.*

Meminere huius Pontificis Gobelinus in hist. Baptista Fulgosius, Platina, Panuinius, Ciaconius,

eiusdemque Auctarij, *Felix Contelorius in Vita*, *Henricus Spondanus in Annal. Bzouius*, *S. Antoninus*, *Hippolytus* Marraccius *in Pont. Marianis*, *Ferdinandus Vghellius in Cardinalibus Columnensibus*, *Acta* Concilij *Constantiensis*, *& historici omnes seculi decimi quinti*.

Iulius II. *ante* Pontificatum *Iulianus de Ruuere*, *Raphaëlis filius nuncupatus*, *omnium primus contra decessorum vsum barbam aluit*. *Morti proximus* Cardinalibus *commendauit electionem boni Pontificis*, *vtque Iulianus dixit* Cardinalibus *schismaticis parco*, *vt Iulius iustitiæ rationem habendam esse iudico*. *Decessisse alij volunt* 10. *alij* 8. *Kalen. Martij*.

De hoc Pontifice tractant Hadrianus Presbyter *Cardinalis S. Chrysogoni in Carmine*, *Folietta in Elogijs*, Panuinius, Ciaconius *cum* Auctarijs *in Vita*, *Henricus* Spondanus *in Annal. Eccl. Rodulphus Tracinth. de gestis Iulij*, Petrus *Bizarus in hist. Genuensi*, *Ludouicus Iacobus à* S.Carolo *in Bibliotheca* Pontificia, *Franciscus Maria Torrigius de Basilica* Vaticana, Paulus *de* Angelis *de Liberiana*, Petrus *Bembus*, *Magnus*, *M. Antonius Casanoua in carmine*, *Leonardus de* Porto, *& historici omnes eiusdem seculi*.

VIII. KAL. MARTII.

Romæ Anno Christi 398. ex mortali ad immortalem migrauit vitam Siricius, patria Romanus, Tiburtij filius, Pontifex Maximus in ordi-

ordine vndequadragesimus, sanctitate, & doctrina illustris, qui spatio annorum tredecim, Mensis vnius, & dierum 14. quo Rempublicam Christianam administrauit, quinquies Ordinationes habuit, quibus creauit Presbyteros vnum & triginta, Diaconos vndeuiginti, Episcopos duos supra triginta. Sepultus in Cœmeterio Priscillæ via Salaria, vacauit Sedes per dies 20.

Notæ. 22. Februarij.

Siricius. *electus Pontifex ex Presbytero Cardinali S. Pudentianæ, non sine tumultu Vrsicini Schismatici.*

Beda & Molanus dicunt, Siricium obijsse die 26. Nouembris.

Aliqui huius Pontificis Sedi annos quindecim tribuunt.

De hoc Anastasius Bibliothecarius, Ciaconius, *eiusdemque Auctarij*, Platina, Panuinius, *Niemus, Franciscus Petrarca, Ptolomæus Lucensis, Ioannes de Columna, Martinus Polonus in Vita, Baronius in Annal. Eccl. Io: Vasæus in Chronico Hispanico, Bellarminus contra* Caluinum, *Gretsærus contra Mornæum, & alij multi.*

VII. KAL. MARTII.

Anno salutis humanæ 1447. Pontificatus 16. vitæ 64. Eugenius IV. Papa in ordine ducentesimus vndecimus, patria Venetus, Romæ in

Palatio Vaticano, die Iouis, hora octaua noctis præcedentis, rebus humanis excessit, ingenio & rebus gestis insignis, & in Pontificatu varius, quem administrauit per annos quindecim, menses 11. dies 21. quo tempore Cardinales tres supra triginta enuntiauit; vir fuit aspectu serius, veneratione dignus, grauis in dicendo potiùs quàm eloquens, modicæ literaturæ, multæ cognitionis, historiæ præsertim, liberalis in omnes, tum vel maximè in literatos, & Religiosos, quorum familiaritate delectabatur. Mortuus sepultus in Vaticano, inde post plures annos Canonicorum S. Georgij in Alga, inter quos vixerat, opera translatus ad Claustrum S. Saluatoris in Lauro. Vacauit Sedes per dies decem.

Notæ. 23. Februarij.

Eugenius. *ante Pontificatum Gabriel Condulmerius Presbyter Cardinalis S. Clementis, Senensis ab ea Ecclesia, quam regebat, vulgò vocatus.*

De hoc Pontifice agunt Platina, Ioannes *Cochlæus in historia Hussitarum*, *Panuinius*, *Ciaconius cum Auctarijs*, *Felix Contelorius in Elencho Cardinalium*, Iacobus *Philippus Thomasinus in Annalibus Canonicorum Secularium*, Vuadingus *in Minorum*, *Ferdinandus* Vghellius *in Italia sacra*, *Franciscus Sansouinus in hist. Veneta*, *Henricus Spondanus in Annalibus Eccl.* Acta Concilij *Basileensis*, *Mutius* Pansa *in descript. Bibliotheca Vaticana*, *& alij quàm plures cum Malatesta & Cardina-*

dinali Bononiensi, qui in eius funere publicè orarunt.

V.KAL. MARTII.

Romæ natalis S. Felicis huius nominis III. in ordine Papæ vndequinquagesimi, Magni Gregorij Ataui, qui post obitum Sanctæ Tharsillæ nepti apparens, illam ad cœlestia regna vocauit. obijt anno post Christum natum 492. cum Rempublicam Christianam administrasset per menses XI. diesque duodeuiginti supra annum octauum, & Concilium in Vrbe celebrasset, habitis duabus ordinationibus, in quibus Presbyteros 28. Diaconos 5. Episcopos vero 31. sacro perunxit oleo. Sepultus in Basilica S,Pauli via Ostiensi, cessauit eius Episcopatus per dies quinque.

Ibidem in Monasterio Sanctorum Andreæ, & Gregorij in Cliuo Scauri, anno à Christo nato 1145. obitus Lucij II. Pontificis in ordine centesimi sexagesimi octaui, patria Bononiensis, qui decem, aut vndecim euulgatis Cardinalibus spatio Mensium vndecim, dierum quatuordecim, quibus sedit in Petri Cathedra, Canonicos Regulares, inter quos ante Cardinalatum sanctissimè vixerat, ad arctiorem viuendi normam iuxta S. Augustini regulam impulit. post obitum sepultus in Laterano, ex alijs verò in Vaticano, vacauit Sedes per diem vnum.

Notæ. 25. Februarij.

S. Felicis III. *ab aliquibus II. dictus, patria Romanus, de nobilissima domo Anicia, quæ postea de Fregepanis cognominata est.*

Anastasius supra annum octauum, Menses 11. & dies 23. Felicis Sedi tribuit; Genebrardus verò Menses 11. diesque 17. supra annum sextum.

Sunt qui dicunt, Felicem ad superos euolasse die 30. Ianuarij.

Meminit Felicis Martyrologium *Romanum, Baronius in Notis, & in* Annalibus, S. *Gregorius homilia 38. in Euangelium, & libro 4. Dialogorum, Ioannes Diaconus in Vita S. Gregorij, Leo Ostiensis in Chronico* Cassinensi, *Platina*, Panuinius, Ciaconius *cum* Auctarijs, *Binius*, Ioannettus, *Pancirolus, & alij plures.*

Lucij II. *Gerardus* Caccianemicus *ante* Pontificatum *dicebatur, patre* Alberto *nobili Bononiensi natus, nihil prætermisit, quod ad expeditionem Hierosolymitanam iudicauit necessarium. In tumultu* Populi *lapidis ictu percussus ex hac vita migrauit.*

De Lucio tractant Panuinius, *Pennottus, Sigonius, Ghirardaccius,* Io: *Nicolaus* Alidosius, *Gerardus Vasaus, Ciaconius eiusdemque Auctarij, Ioannes* Stella, *& alij omnes, qui historiam* Pontificiam *contexuerant.*

IV.KAL.

IV. KAL. MARTII.

Romæ anno salutis 858. obijt Benedictus huius nominis III. in ordine Pontifex sextus supra centesimum, patria Romanus, qui ob sanctitatem vitæ, mortuo Leone IV. solus Pontificis defuncti successor omnium votis acclamatus est, ad quem concurrentes omnes, tamquam ad vnicum & benignissimum sydus terræ datum, eum Pontificem decreuerunt, qui flens, Deum & Sanctos in testes vocans, se nequaquam dignum esse dicebat, qui tantæ Sedi præficeretur, quærensque se à propria quiete auelli, acclamantibus omnibus, & electionem approbantibus, præcantibusque vt tantam, quam ei Deus obtulerat dignitatem, accipere haud recusaret, inuitus tandem Pontificium munus suscepit, & administrauit per annos duos, Menses sex, & dies 25. vnica ordinatione consecratis Episcopis 20. Presbyteris sex, Diacono vno. Sepultus in Vaticano prope argenteam portam. vacauit Sedes per dies quindecim.

Notæ. 26. Februarij.

Benedictus. *Petri filius ex Canonico Regulari Presbyter Cardinalis* S. *Mariæ Transtyberim à Leone IV. renuntiatus, sedit ex aliis Menses octo, diesque* 16. *seu Menses* 6. *dies* 10. *vel Men-*

ses quinque supra biennium.

Celebrant Benedictum Anastasius Bibliotheca-rius, Martinus Polonus, S. Antoninus, Niemus, Platina, Simonetta, Panuinius, Franciscus Petrarca, Ptolomæus Lucensis, Io: de Columna, Ciaconius, eiusdemque Auctarij in Vita, Baronius in Annalibus Eccl. Paulus Morosinus in hist. Veneta, & alij plures.



MAR-

MARTIVS.

VI. NONAS MARTII.

ROmæ memoria Sancti Simplicij, patria Tiburtini, Papæ in ordine duodequinquagesimi, qui anno à Christo nato 483. cum præfuisset Ecclesiæ per menses quinque, & dies decem supra annum quintum decimum, habitis pluribus Ordinationibus, quibus Presbyteros 58. Diaconos 11. Episcopos 36. consecrauit, ad Superos sanctitate illustris euolauit. Sepultus in Vaticano, progressu tamen temporis cinerum pars translata Tibur, cuius Episcopatus cessauit per sex tantum dies.

Ibidem anno salutis 558. vitam sanctissimè terminauit Pelagius huius nominis primus, in ordine sexagesimus primus Pontifex, patria Romanus, qui rexerat Christianam Rempublicam omnium plausu, charus ob eximias dotes, & virtutes, quibus præditus erat omnibus, per menses decem, diesque duodeuiginti supra quartum annum, duabus vicibus ordinatis Presbyteris 25. Diaconis 9. & Episcopis 49. Post obitum sepulchrum habuit in Vaticano, ac vacauit Sedes Menses tres, diesque 25.

Notæ. 2. Martij.

S. Simplicij. *Castini, seu Castoris filius, cuius natalis solemnitas Tiburi præsertim agitur. Sunt*

qui

qui dicunt, sedisse Menses 7. totidemque dies, alij Mensem tantùm vnum, & dies 8. supra annum 15.

Celebrant Simplicium Martyrologia Romanum, Bedæ, Adonis, & aliorum; Baronius in Notis & in Annalibus, Anastasius *Bibliothecarius,* Platina, Panuinius, Ciaconius *cum* Auctarijs, *Seuerinus Binius in Notis Conciliorum,* Martinus *Polonus,* Io: de Columna, *Ptolomæus Lucensis,* Franciscus Petrarca, *Simonetta in Vita, & alij plures.*

Pelagius. *Ioannis Vicariani filius, quintam Synodum recepit, & approbauit, curauitque vt Occidentales Episcopi eam admitterent.* Vaticanam *Basilicam ornauit, & cl iruit sanctitate; à veritate aberrant illi, qui huius Pontificis Sedi annos decem, vel vndecim tribuunt, mortuumque dicunt anno 559.*

Est Pelagij mentio apud omnes, qui de Romanis Pontificibus scripserunt, vide Ciaconium, aliosque superiùs laudatos, nec non Baronium in Annalibus.

IV. NONAS MARTII.

Romæ anno salutis 258. via Appia martyrium S. Lucij Papæ, in ordine vigesimi tertij, patria Romani, qui primò in persecutione Valeriani ob Christi fidem exilio mulctatus, postmodum ad Ecclesiam redire diuino nutu permissus, illam rexit per annum vnum, menses 4. & dies 23. ac bis dandis sacris Ordinibus vacauit, Episcopos septem, Presbyteros quatuor, totidemque Diaconos consecrando, aduersùs Noua-

Nouatianos multum laborauit, compleuitque martyrium capitis obtruncatione. Corpus arenario viæ Appiæ traditum, ex quo ad Vaticanum translatum dicunt: vacauit tum Romana Sedes dies quinque supra mensem.

Notæ. 4. Martij.

S. Lucij. *Porphyrij filius, exulauerat etiam ob Christi fidem ante Pontificatum apud Centumcellas: Præfuit Ecclesiæ ex aliquibus menses tantùm octo, ex alijs quinque. sunt qui huius Sedi tribuunt annos tres, totidemque menses, alij annos duos, menses tres, dies 13. cuius corpus apud S. Cæciliam, nonnulli apud S. Siluestrum de Capite reponunt.*

Summis laudibus S. Lucium celebrarunt S. Cyprianus, Martyrologium Romanum, Beda, Vsuardus, Ado, Baronius in Notis & in Annal. Optatus contra Parmen. Augustinus epist. 165. liber Romanorum Pontificum inscriptus Damasus, *Martinus Polonus, Ioannes de Columna, Ptolomæus Lucensis, Franciscus Petrarca, Niemus, Platina, Simonetta, Panuinius, Ciaconius cum Additarijs in Vita, Eusebius in Chronico, Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, Contarenus, Giacchettus & alij.*

NONIS MARTII.

Anno post Christum natum 1605. Romæ obijt Clemens VIII. Pontifex Maximus in ordine ducentesimus trigesimus quintus, patria Floren-

Florentinus, ex Aldobrandina familia, post Romanæ Rotæ iudicium, & Datariæ Præfecturam purpura donatus, maiorisque Pœnitentiarij munere auctus, post sedactas in Polonica legatione inter Sigismundum Regem & Austriacam domum ortas in Comitijs Regni discordias, ad Pontificatus apicem euectus, Patriarcha Alexandrino, & Ruthenis Episcopis à Schismate in Romanæ Ecclesiæ complexum admissis, Henrico IV. Rege Apostolica charitate recepto, Galliarum Regno cum magno Religionis bono post diuturna bella pacato, inter eumdem Regem, & Sabaudiæ Ducem pace firmata, seculari anno iubilæi miræ pietatis documentis cumulato, Pontificia maiestate vbique constanter asserta, annorum XIII. Mensis vnius, ac dierum quatuor spatio, quo sedit in Petri Cathedra, euulgatis 53. Cardinalibus, ac Sanctis adscriptis ex Ordine Prædicatorum Hyacintho Polono, & Raymundo de Pegnaforte, & Beatis Agnete Virgine Politiana. Corpus è temporario Vaticani tumulo ad Basilicam Liberianam anno 1646. translatum. vacauit Sedes per dies 23.

Notæ. 7.Martij.

Clemens VIII. *Hippolytus Aldobrandinus ante Pontificatum dictus, Fani natus, Florentia oriundus, obijt ex alijs 19. Februarij, ex alijs verò die 4. vel 3. seu 13. Mensis Martij, ex sepulchrali elogio scimus excessisse die 7. vt superius indicauimus.*

Cle-

Clementem debitis laudibus exornant Auctarij Ciaconij, Cæsar Baronius in Annalibus, Petramellarius, Angelus Rocca, Pompeus Vizanus in hist. Bononiensi, Paulus de Angelis in descriptione Basilicæ Liberianæ, Cardinales Perronius in literis, Bentiuolus in memorijs historicis, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Ludouicus Iacobus à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia, Ferdinandus Vghellius in Italia sacra, Hippolytus Marraccius in Pontif. ac in Bibliotheca Mariana, Io: Rhò in historia virtutum & vitiorum, Henricus Caterinus Dauila in hist. Franciæ, Seuerinus Binius tomo vltimo Conciliorum, & alij plures.

VII. IDVS MARTII.

Romæ anno reparatæ salutis 1144. obijt Cœlestinus huius nuncupationis secundus, in ordine Pontifex centesimus sexagesimus septimus, natione Tuscus, de Castro Sanctæ Felicitatis prope Tiphernum, post menses quinque, diesque tredecim ab accepto Pontificatu, quem illustrem reddidit purpura duodecim virorum illustrium; hac in re præcipue felix ob temporis breuitatem, quòd nullis seditionibus vexatus fuerit; sepultus in Lateranensi Basilica, vacauit Sedes per dies duos.

Notæ. 9. Martij.

Cœlestinus. *Magister Guido de Castello nuncupatus*

patus, omnium primus sine Populi interuentu summum Pontificatum adeptus est. Ad hunc Pontificem sunt Petri Cluniacensis, ac Bernardi Claraeuallensis Epistolæ.

De hoc tractant Baronius in Annal. Pandulphus Pisanus, Martinus Polonus, Io: de Columna, Ptolomæus Lucensis, Franciscus Petrarca, Niemus, Platina, Simonetta, Panuinius, Ciaconius, eiusdemque Auctarij, Benedictus Canonicus Vaticanus *in* Vita, *Abbas* V*rspergensis, S. Antoninus. Nauclerus, Iacobus Philippus Bergomas, & alij plures.*

V. IDVS MARTII.

Anno post Christum natum 1045. Siluester III. natione Italus, patria Romanus, ex Episcopo Sabinensi malis artibus, pecunia nempe, ad Petri Sedem ascensum sibi parauit, contra Benedictum VIII. alijs IX. & post mensem vnum, & dies vndetriginta ab ipso Benedicto Pontificatu exactus est.

Notæ. 11. Martij.

Siluester III. *Ioannis Laurentij filius.*

De quo Ciaconius, Panuinius, & alij plures, cum Baronio in Annalibus Eccles.

IV. IDVS MARTII.

Romæ memoria S.Gregorij Pontificis in ordine

dine sexagesimi quinti, Ecclesiæ Doctoris, Gordiani Senatoris, & Siluiæ sanctissimæ Matronæ filij, qui ob res præclarè gestas, atque Anglos ad Christi fidem conuersos, Magnus est cognominatus, & Anglorum Apostolus. hic inter primas curas habuit medicinam gregi suo quærere, quem pestilentia, tota passim Italia, sed Romæ potissimùm lacerabat. morte igitur grassante, ad Matrem viuentium confugit, cuius effigiem cùm tota Vrbe supplicabundus circumtulisset, Angelum vidit, qui iratum ensem vaginæ reddebat, & aërem noxium purgabat, gratantibus vocibus Cœli Reginæ victoriam dicentem. ad huius etiam preces Angelorum panis in carnem abijt, & hæsitanti fœminæ fidem mysteriorum fecit. in sede Annorum 13. Mensium 6. dierum 8. Ordinationes duas habuit Episcoporum 62. Presbyterorum 39. & Diaconorum 15. obijt, sed immortalis viuet in suis libris, anno Dominicæ Natiuitatis 604. Corpus in extrema Porticu ante Basilicam S. Petri prope Secretarium conditum est. inde à Gregorio IV. intra Basilicam translatum; vacauit Sedes per Menses 5. dies 19.

Notæ. 12. Martij.

S. Gregorij. *magno Italiæ, & totius Orbis Christiani cum dolore vitam reliquit sub Phoca Imperatore, cùm eximia doctrina ac pietate Ecclesiam Catholicam administrasset, quare merito innume-*

unmerum Sanctorum Confessorum, ac Doctorum est relatus.

Corpus huius Sancti in Templo S. Andreæ in Cœlio Monte, alij in Hispania iacere dicunt, cùm re vera sit in Vaticano. in Ecclesia S. Andreæ est brachium, & fortasse in Hispania membrum aliud. apud Patres Oratorij in Vrbe est capitis pars nobilis, argentea theca, inclusa. Olim cùm tempore Quadragesimæ, Sanctorum natalitia minimè celebrarentur, translata erat huius diei solemnitas in diem, qua fuerat ordinatus.

De illo tractant Martyrologia omnia, Græcorum Menologia, Authores, qui Romanorum Pontificum, vel Sanctorum Vitas descripserunt, seu historiam Ecclesiasticam enarrarunt. Omnium primi huiusce Sancti acta euulgarunt Paulus Monachus Cassinensis, Ioannes Diaconus, Gregorius Turonensis, Isidorus de Viris illustribus S. Ildelphonsus, Beda in hist. Anglica, Paulus Diaconus de gestis Longobardorum, Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi, Lucas Tudensis, & alij plures.

IDIBVS MARTII.

Romæ S. Zacchariæ Papæ in ordine nonagesimi secundi natalis, Siberenæ magnæ Græciæ, nunc Calabriæ dictæ, nati, qui Ecclesiam Dei summa vigilantia per menses tres, diesque sexdecim supra decennium gubernauit, tribus habitis ordinationibus Episcoporum 85. Presbyterorum 30. Diaconorum 5. anno salutis 752.

cla-

clarus meritis quieuit in pace. Sepultus ad S.Petrum, vacauit Sedes dies 8. seu ex alijs 12.

Notæ. 15.Martij.

S. Zachariæ. *Policronij Pontinij filius ex Monacho S. Benedicti Presbyter Cardinalis primò, deinde Pontifex, obijt ex alijs pridie huius diei.*

De illo Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annalibus, Beda, Anastasius Bibliothecarius in Vita notis adaucta à Binio, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius & alij omnes, qui Pontificum Romanorum vitas descripserunt.

XVII.KAL. APRILIS.

Hac die *Romæ* anno salutis humanæ 985.obitus Ioannis huius nuncupationis decimi quarti, in ordine centesimi quadragesimi *Romani* Pontificis, patria Papiensis, doctissimi, & multorum librorum Authoris, qui contra Bonifacium VI. Pseudopontificem rem publicam Christianam per menses octo administrauit. Corpus apud S.Petrum sepulchro traditum, vacauit Sedes dies decem.

Notæ. 16.Martij.

Ioannis. *Petrus à Caneua noua ante Pontificatum nuncupatus, ex Episcopo Papiensi, & Archicancellario Othonis Imperatoris, summum Principa-*

tum Ecclesiæ obtinuit, & carcerem opera Bonifacij Pseudopontificis per plures menses passus est. hunc aliqui excludunt à numero Pontificum; *quia viuente* Benedicto *VII. dicto VIII. in Schismate electus est.*

De Ioanne tractant Ciaconius cum Auctarijs, Baronius in Annalibus, Panuinius, Guillelmus Bibliothecarius, Martinus Polonus; *Ioannes de Columna,* Ptolomæus *Lucensis, Franciscus* Petrarca, Platina, *Simonetta, Niemus, Stella, & alij multi.*

XVI. KAL. APRILIS.

Anno à natiuitate Christi 965. in Vrbe decessit Leo VIII. ex statu laicali Pseudopontifex, qui per annum vnum, menses tres, dies 12. contra Ioannem XII. & Benedictum VI. Petri Cathedram occupauerat. post obitum sepultus apud S. Petrum in Vaticano.

Notæ. 17. Martij.

Leo. *licet schismaticus Papa fuerit, tamen ab eius nominis nota rationem habent Historici in recensendis alijs* Pontificibus, *qui Leonis nomine sunt vocati. hic eligendi Romanum Pontificem auctoritatem à Clero Romano ad Imperatorem transtulit.*

Est Leonis mentio apud Baronium in Annalibus, Ciaconium, eiusdemque Auctarios, Panuinium, Pla*tinam, Guillelmum Bibliothecarium, Martinum* Po*lonum,* Ptolomæum *Lucensem, Franciscum* Petrarcam, *Niemum, Simonettam, S. Antoninum, & alios.*

XV. KAL. APRILIS.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1227. vitam terminauit Honorius III. Pontifex Maximus, in ordine centesimus septuagesimus nonus, Pontificatus sui anno decimo, mense que octauo, patria Romanus; cum vitam egisset, vt bonum decebat Pastorem, duorum Imperatorum Orientis & Occidentis capita coronasset, Bohemos in Ecclesiæ gremium recepisset, confirmasset sacros Ordines Prædicatorum, ac Minorum, nec non Vallischolarium, S. Mariæ de Mercede, seu de Misericordia Redemptionis Captiuorum, Carmelitarum sub Regula B. Alberti Patriarchæ Hierosolymitani, Equitumque Calatrauæ, ac quatuor Creationibus Cardinales vndecim euulgasset, Guillelmum Episcopum Bituricensem, Laurentium Præsulem Dublini, nec non Gertrudem Virginem, sororem S. Beggæ viduæ Sanctis adscripsisset. Vacauit Sedes per diem tantùm vnum; sepultus ante aram Præsepis ad Basilicam Liberianam.

Notæ. 18. Martij.

Honorius. *Cencius Sabellus Presbyter Cardinalis SS. Io: & Pauli S. R. E. Camerarius, seu Cancellarius ante Pontificatum dictus, à cuius sedis tempore superiùs indicato Bzouius dies aliquot remouet.*

Laudant Honorium S. Antoninus, Paulus *Cortesius,* Panuinius, Platina, *Ciaconius cum Auctarijs,*

Odericus, Bzouius, Spondanus, Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, Conradus Abbas Vrspergensis, Albertus Stadensis in Chronicis, Historia Dominicanorum, Minorum, Carmelitarum, Hippolytus Marraccius de Pont. Marianis, *Auctor Nomenclatoris Cardinalium, & alij plures.*

X. KAL. APRILIS.

Anno reparatæ salutis 1555. in Vaticano ab humanis decessit Iulius III. Pontifex Maximus, in ordine ducentesimus vigesimus quintus, natus *R*omæ 4. Idus Septembris anno 1487. Aretio oriundus, qui celebrato Iubilæo, Concilio Tridentum reuocato, benignissimè recepto Simeone Sulaka, Orientis vniuersi trans Euphratem ad Indos vsque Metropolita, confirmato in *R*egno Neapolitano Philippo II. Hispaniarum Rege, euulgatis 20. Cardinalibus, per annos quinque, mensem vnum, ac dies 13. *R*empublicam Christianam forti pectore rexerat. Sepultus post obitum in Vaticano, vacauit Sedes per dies 18.

Notæ. 23. Martij.

Iulius. *Io: Maria in Baptismate vocatus, filius Vincentij de Monte iurisconsulti egregij, à natali loco, oppido scilicet* Montis *S. Sabini, quod est in agro Aretino recens familiæ nomen de Monte traxerunt; cuius corpus nostra hac ætate iacet in* Cryptis *Vaticanis.*

De

De Iulio tractant Henricus Spondanus, & Odericus in Annalibus Eccles. Ludouicus Iacobus à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia, Antonius Franciscus Rainerius, Ianus Vitalis, Faustus Sabæus in carmine, Auberius, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius in Vita, Paulus de Angelis in descriptione Basilicæ Liberianæ, Hippolytus Marraccius in Pontif. Marianis, Iacobus Philippus Thomasinus in Annalibus Canonicorum secularium, Sforția Cardinalis Pallauicinus in historia Concilij Tridentini, & alij plures.

IX. KAL. APRILIS.

Romæ hac die anno à partu Virginis 900. obitus Stephani VII. dicti VI. Pontificis, in ordine centesimi decimi quinti, patria Romani, qui celebrato in Vrbe Concilio contra Formosum decessorem, præfuit Ecclesiæ Catholicæ per annos quatuor. & menses nonnullos. vacauit Sedes per huius obitum, dies tres.

Ibidem anno Christi 1495. Nicolaus V. Pontifex, in ordine duodecimus supra ducentesimum, patria Sarzanensis, Pontificatus sui anno 8. die vndeuigesima post captam Constantinopolim, siue tædio animi, siue febri, & podagra, qua potissimùm vexabatur, enulgatis per quatuor vices Cardinalibus duodecim, celebratoque anno 1450. Iubilæo, ac Sanctis adscripto Bernardino Senensi Ordinis Minorum, vitam migrauit, maximè commendatus liberalitate, qua in omnes, & præcipuè in doctrina præs-

tantes viros vsus est. Post obitum sepultus in Vaticano, vacauit Sedes diebus duodecim.

Notæ. 24. Martij.

Stephani. *Ioannis Presbyteri ex legitimo matrimonio filius, Episcopus Anagninus in Formosi decessoris cadauer inaudito facinore inseuijt. Seditque ex alijs menses tantùm aliquot supra annum vnum, & obijt anno* 898.

Meminere Stephani A*cta Concilij Romani habiti sub Ioanne IX. Baronius in Annal. Guillelmus Bibliothecarius, Martinus Polonus, Ioannes de Columna, Ptolomaeus Lucensis, Franciscus Petrarca, Baptista Platina, Bonifacius Simonetta, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius in* V*ita, Luitprandus,*S.*Antoninus in* C*hronico, & alij plures.*

Nicolaus. *Thomas Parentucellus Bartholomai professione Medici, & Andreolæ Calderinæ filius, pacis amator, bellique inimicus.*

Sunt qui scribunt, decessisse anno 1454. *quæ si vera essent, affirmandum nobis esset, non sedisse in Petri Cathedra nisi annis septem, & duodeuiginti diebus.*

Est Nicolai mentio apud P*latinam,* P*anuinium,* S*imonettam, Ciaconium, eiusdemque* A*uctarios, Ferdinandum Vghellium in Italia sacra, Bzouium, Odericum, Spondanum in Annalibus Eccl.* V*bertum Feliettam in Elogijs Ligurum,* P*aulum de Angelis in descriptione Basilicæ Liberianæ, Hippolytum Marraccium in* P*ontif.* M*arianis, Horatium Turselinum in hist.*L*auretana,*L*udouicum Iacobum à* S.C*arolo,*

relo, Raphaëlem Sopranum in suis Bibliothecis, & alios multos.

VIII. KAL. APRILIS.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1191. Romæ in Palatio Lateranensi Clemens III. Pontifex Maximus, in ordine centesimus septuagesimus sextus, patria *R*omanus cum sedisset in Petri Cathedra menses duos, diesque viginti supra annum tertium; ac sex & viginti renuntiasset Cardinales, Sanctisque adscripsisset Othonem, vegetæ licet ætatis, rebus humanis excessit, nos erudiens, in fœlicitatibus nostræ regionis statim post gratulationes & plausus Epitaphium & næniam parandam esse. in Basilica Constantiniana ante antiquum Canonicorum Chorum pilo vetusto sigillis ornato sepultus, vacauit Sedes per tres dies.

Notæ. 25. Martij.

Clemens. *Paulus Scholaris Ioannis nobilis Romani filius, ab alijs* Paulinus *nuncupatus ob staturam humilem.*

Clementis III. nomine insignitus alius fuit Pseudopontifex*, patria* Parmensis*, qui in Schismate anni* 1084. *ad thronum euectus per viginti ferè* Annos *Apostolicam Sedemoccupauit.*

De Clemente legitimo Pontifice *tractant Io: de Columna;* Franciscus Petrarca*, Niemus, Platina, Simonetta, Ciaconius cum Auctarijs in* Vita*, Baronius*

in Annal. Eccl. Rogerius in Anglicis, S.Antoninus, Gaulterius, Antonius Dauroultius, Hippolytus Mar-*raccius in* Pontif. Marianis, *& alij*.

VI. KAL. APRILIS.

Anno à Christo nato 1378. animam emisit Gregorius huius nominis XI. in ordine ducentesimus tertius Pontifex, Clementis VI. ex fratre nepos, qui Romanæ Vrbi Pontificatum restituit, Catharina Senensi Virgine inter alios suadente, illumque prudentissimè, omnium plausu administrauit per menses duos, diesque vndetriginta supra septennium, quo tempore duos & viginti enuntiauit Cardinales. Huic in Gallia nato, *R*omæ verò denato Populus Romanus lacrymis parentauit,& sepulchrum Cineribus proprio aere extruxit in Diaconia S.Mariæ antiquæ, cuius ante Pontificatum Diaconus extiterat. Vacauit Sedes per dies duodecim ab eius obitu.

Notæ. 27.Martij.

Gregorius. *Petrus Rogerius Monstrius, seu Petrus Comes Bellifontis antea dictus, olim Baldi egregij I.C.discipulus.*

Anno 6. Pontificatus *è portu Massiliæ soluens, Genuam primò, inde Cornetum, demum terrestri itinere* Romam *venit: hoc iter vincta oratione descripsit* Petrus *Amelius* Augustinianus, *Episcopus Senogalliæ*.

Huius

Huius Pontificis obitum ad diem 26. alii ad 28. huius mensis, & alii ad Kal. Aprilis referunt; ex monumentis Vaticanis tamen scimus ex calculi dolore circa secundam horam noctis diei 27. Martii excessisse.

Luxerunt eum Romani tanto gemitu, quanto neminem Pontificum, quòd Vrbem ingentibus beneficiis exornasset, quare beneficii memores Sepulchrum in Diaconia S. Mariæ nouæ ornatissimum extruxerunt.

De tanto Pontifice tractant Ciaconius, eiusdemque Auctarii, Niemus, Platina, Panuinius, Simonetta in Vita, Frossardus in Galliæ, Spondanus, Bzouius, Odericus in Eccles. Annalibus, Ægidius Viterbiensis in hist. S. Antoninus, in Chronico, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Illescas in hist. Eccles. Io: Baptista Egnatius in Exempl. Hieronymus Garimbertus, Stephanus Baluze in Antifrizonio, Marraccius de Pontif. Marianis, & alii plures.

V.KAL. APRILIS.

*R*omæ memoria S. Sixti Papæ huius nuncupationis III. in ordine quarti supra quadragesimum, patria Romani, qui spatio annorum octo, minùs diebus 30. quo *R*empublicam Christianam administrauit, quatuor Ordinationibus Episcopos 52. Presbyteros 22. Diaconos 12. consecrauit, Basilicam Liberianam à fundamentis restituit, vitiumque quod suæ famæ Anicius Bassus fecerat, iu publico Episcoporum con-

conuentu, ne sub larua Christianum Orbem fallerer,purgauit. Sepultus via Tiburtina ad S.Laurentium extra muros in Crypta, iuxta corpus eiusdem Sancti. Vacauit Sedes dies sexdecim supra mensem.

Notæ. 28.Martij.

S. Xixti. *Sixti filius sedit ex aliis mense tantum vno supra septennium, obiitque 3. Kal.* Aprilis *quæ incidunt in 30.Martii. anno* 439. *seu* 440.

Hac die eius memoriam colit Martyrologium Romanum, cum Beda, Adone, *& aliis; eiusdem memoriam Baronius in* Annal. *Eccl. & in Notis, Anastasius Bibliothecarius,* Martinus Polonus, *Io: de Columna, Ptolomæus Lucensis, Franciscus* Petrarca, *Niemus,* Platina, Panuinius, *Simonetta,* Ciaconius *cum Auctariis in* Vita. *Augustinus in* Epist. *Gennadius de viris illustribus, Ludouicus Iacobus à* S.*Carolo, & alii plurimi apud eosdem.*

IV.KAL. APRILIS.

Florentiæ anno Dominicæ Natiuitatis 1058. mortuus est Srephanus X. dictus IX. Pontifex Maximus, in ordine centesimus quinquagesimus sextus, Gozzelonis Ducis Lotharingiæ filius, regio Francorum sanguine oriundus, per vim domo extractus, atque in Pontificem omnium plausu Friderico solum repugnante & contradicente lectus; qui Synodo in Laterano con-

congregata, vitijs omnibus bellum indixit, eaque nouis legibus, & constitutionibus à Catholicorum Vrbibus proscripsit; inter consanguineos pacem curauit, nuptias tamen prohibuit; Clericos amauit castos, atque à simoniaca labe alienos, septem euulgauit Cardinales, quæ omnia perfecit spatio septem mensium, ac dierum 27. quo præfuit Ecclesiæ. Corpus ibidem in Cathedrali S. Reparatæ sacra sepultum. vacauit Sedes per dies duodetriginta.

Eadem die anno 1285. Perusiæ in Vmbria ad superos euolauit Martinus II. dictus IV. Pontifex Maximus, in ordine centesimus nonagesimus primus, natione Gallus, Pontificatus sui anno quarto, Mense primo, die septima, qui vitæ sanctitate, & miraculis clarus, Petrum Aragoniæ Regem grauibus seditionum fluctibus Ecclesiæ nauim turbantem, à fidelium communione disiunxit, & Noruergiæ Principem, qui pecuniam in Terræ Sanctæ subsidium collectam è Regno efferri recusabat, seuerè redarguit; Cum autem septem præstantes viros Cardinalium Collegio adiunxisset, Minorum habitu ornatus tumulatus in Cathedrali S. Laurentio sacra. Vacauit Sedes dies tantum quatuor.

Notæ. 29. Martij.

Stephanus. *Fridericus antea vocatus Monachus, & Abbas Cassinensis, per vim à Populo ad Titulum Eudoxiæ deductus salutatur Pontifex 4. Nonas Augusti,*

sti, quo die memoria S. Stephani Pontificis & Martyris colitur, ideò Stephani nomen assumpsit.

Decumbenti ad mortem affuit Hugo Cœnobiarcha Cluniacensis, qui Dæmonem Stephano infestum sua præsentia fugauit.

De hoc Pontifice agunt Leo Ostiensis in Chronico, Panuinius in Epit. Ioannes Stella, Guillelmus Bibliothecarius, Martinus *Polonus*, *Io:* de Columna, *Ptolomæus* Lucensis, *Franciscus Petrarca, Platina, Simonetta, Niemus*, Ciaconius, *eiusdemque Auctarii in* Vita, *Baronius in Annal. Eccl. Petrus Damiani in Epist. Petrus Frizonius in Gallia purpurata, & alii multi.*

Martinus. *Simon de Bria ab oppido Campaniæ diœcesis Senonensis ante Pontificatum dictus, vir haud ignobili genere ortus, sed doctrina, rerum gerendarum experientia, animi magnitudine, morum & vitæ sanctitate insignis, Martinus,* Martini *Turonensis Episcopi memoria nuncupatus.*

Est huiusce Pontificis mentio apud Eberardum in Chronico, *Io: Trithemium, Genebrardum, Seuerinum Binium, Ægidium Viterbiensem, Papirium Massonum, Petrum Frizonium, Vasburgium Virdunensem Archidiaconum, Odericum,* Vuadingum, *Bzouium,* Andream *Quercetanum*, Ciaconium *& Auctarios, nec non apud omnes, qui historiam Pontificum Romanorum descripserunt.*

III. KAL. APRILIS.

*R*omæ in Hadriani mole anno à partu Virginis

inis 974. Benedictus VII. dictus VI. in ordine Pontifex centesimus trigesimus septimus, um sedisset in Petri Cathedra annum vnum, neuses tres, diesque nonnullos, seu fame, seu strangulatus Cynthij *Romani* Ciuis, *Romano*rum tamen Pontificum aduersarij imperio miserè perijt, cuius pijs manibus Cynthius impius morte sua parentauit. Cadauer in Basilica Vaticana sepulchro conditum, vacauit Sedes dies decem.

Notæ. 30. Martij.

Benedictus. *Hildebrandi filius, Auctore Francone, qui ei in Pontificatu successit prius in carcerem inclusus, deinde occisus per* Cynthium *Theodoræ filium, cum sedisset ex alijs supra annum vnum, Menses sex, obijt 6. Idus Iulii.*

Acta Benedicti referunt Baronius in Annal. Guillelmus Bibliothecarius, Martinus *Polonus,* Io: *Stella, Bonifacius Simonetta, Platina, Panuinius, Niemus, Ptolomæus* Lucensis, *Io: de Columna, Petrarca, Ciaconius cum Auctariis in Vita, S.Antoninus in Chronico, & alii plures.*

PRIDIE KAL. APRILIS.

Anno Domini 752. Romæ ante adeptam consecrationem, quarta die Pontificatus subita morte correptus est Stephanus huius nominis II. in ordine nonagesimus tertius, patria *Romanus*, cuius casum assiduè meminisse iuuabit.

bit. vacauit post huius obitum Sedes per diem vnum.

Notæ. 31. Martij.

Stephanus. *Hunc Scriptorum multi in Pontificum numerum non reponunt & Tertium re vera, secundum nominant, quòd haud rectè factum est, cum & legitimè creatus fuerit, & vir ingentis spiritus & animi existimatus fuerit; cuius obitum ad v. Kal. Aprilis alii referunt.*

Meminere Stephani Ciaconius, *eiusdemque Auctarii.*



APRI-

APRILIS.

IV. NONAS APRILIS.

HAc die anno salutis 419. occupatæ Sedis mense tertio, dieque decima quinta Eulalius Pseudopontifex, euulgatus in schismate contra Bonifacium I. Imperatoris Honorij imperio occupatam dignitatem abdicauit, factus à Bonifacio Episcopus in Campania; multum prosunt Ecclesiæ pij Cæsares, Regesque propitij.

Notæ. 2. Aprilis.

Eulalius. *electus à Presbyteris in Basilica Lateranensi*.

Vide acta Bonifacii apud Baronium, *Panuinium*, *& Ciaconium*.

III. NONAS APRILIS.

Romæ apud S. Sabinam in Monte Auentino anno Dominicæ Natiuitatis 1287. spiritum emisit Honorius IV. Pontifex Maximus, in ordine centesimus nonagesimus secundus, patria Romanus, gente Sabella, patre Luca, viro in Vrbe primario natus, qui in omni vita probatissimus, & Christianæ Religionis cultor egregius, viros doctos & probos dilexit, Monialibus Prænestinis Cœnobium S. Siluestri in Campo Martio assignauit, Monasterium in solo paterno pro Reli-

Religiosis viris Albani excitauit, Iacobi Aragonij acta detestatus, illum anathemate percussit, & spatio duorum annorum, vniusque diei, quo vixit in Pontificatu, vnum tantùm renuntiauit Cardinalem. Sepultus post obitum apud S. Petrum, ex qua Basilica sub Paulo III. eius ossa translata ad Ædem Aracellanam. Vacauit Sedes dies duodeuiginti supra mensem decimum.

Notæ. 3. Aprilis.

Honorius. *Iacobus Sabellus dictus, sub quo Pandulphus frater Senatoriam dignitatem in Vrbe gessit.*

A veritate toto coelo aberrant illi, qui scribunt Honorium decessisse Nonis Aprilis, cum ex monumentis Vaticanis habeamus mortem Honorii accidisse 3, *Nonas Aprilis.*

Summis laudibus Pontificem *hunc extollunt Chronici Hirsaugiensis Auctor, Genebrardus, Martinus Polonus, Ægidius Viterbiensis, Platina, Pandulphus Pisanus,* Ciaconius, *cum Auctariis, Odericus in Annali Bernardus in Chronico Rom. Pontif. Ptolomæus Lucensis in hist. Eccles.* S. Antoninus, *Io: Giacobettus in hist. Monasterii & Ecclesiæ S. Siluestri de Capite, Ferdinandus* Vghellius *in Italia sacra, Auctor Romæ subterraneæ, & alii plures.*

PRIDIE NONAS APRILIS.

Romæ apud Patriarchium S. Mariæ Maioris anno

anno reparatæ salutis 1292. excessit Nicolaus IV. Pontifex Maximus, in ordine centesimus nonagesimus tertius, patria Asculanus, professione Franciscanus, qui annorum 4. Mensis vnius, & dierum 14. spatio quo sedit in Petri Cathedra pacem inter Reges Aragoniæ, & Siciliæ firmauit, Carolum vtriusque Siciliæ Regem coronauit, Montis Pessulani gymnasium erexit, Vlysipponensem Academiam priuilegijs exornauit, propagandæ fidei cupidus, Quæsitores multis in Prouincijs constituit, & vnica Cardinalium creatione Cardinales septem enuntiauit. Sepultus in eadem Basilica, apud quam spiritum reddiderat. vacauit Sedes per annos duos, menses tres, & dies 2.

Notæ. 4. Aprilis.

Nicolaus. *Hieronymus Asculanus ante Pontificatum dictus, humili genere in Picentibus ortus, ex Generali Minorum Ministro Presbyter Card.S.Pudentianæ à Nicolao III.creatus.*

Huius Pontificis ossa, iussu, & impensis Fr.Felicis Peretti eiusdem Ordinis Cardinalis, qui postea sub nomine Sixti V. Rempublicam Christianam administrauit, in monumento egregijs, & discoloribus distincto lapidibus in eadem Basilica erecto, collocata sunt.

Nicolaum debitis laudibus extollunt Spondanus, Odericus, Henricus Monachus, Bzouius, Vuadingus in suis Annalibus, Ægidius Viterbiensis in hist.

E Chro-

Chronici Hirsaugiensis Auctor, nec non Salisburgensis, Panciroli 1s de Thesauris, Pompeus Vgonius de Station. Vrbis, Ciaconius cum Auctarijs, Platina, Panuinius, Petrarca, Simonetta, Garimbertus, & alij in Vita.

VIII. IDVS APRILIS.

Romæ anno Domini 139. natalis Beati Sixti, huius nominis primi, in ordine octaui Pontificis & Martyris, qui temporibus Hadriani Imperatoris, per annos nouem, menses decem, ac dies 14. sanctissimè publicas Christianorum res administrans, cum tres habuisset ordinationes Episcoporum 4. Presbyterorum 11. Diaconorum 3. sub Antonino Pio, vt sibi Christum lucrifaceret, libenter sustinuit mortem temporalem. Corpus in Vaticano sepulchro traditum, vacauit Romana Sedes biduum tantùm.

Ibidem anno 432. transitus S. Cœlestini Papæ item primi, in ordine quadragesimi quarti, qui Nestorium Constantinopolitanum Episcopum damnauit, Pelagium fugauit, & cuius auctoritate Sancta vniuersalis Synodus Ephesina aduersus eundem Nestorium celebrata est, nec non in sacris ordinationibus ter in Vrbe habitis, Presbyteri 32. Diaconi 12. Episcopi 62. consecrati. Sepultus via Salaria, cum sedisset annos 8. Menses 10. dies 12. Vacauit Sedes per diem vnum & viginti.

Notæ.

Notæ. 6. Aprilis.

Sixti. *Pastoris filius, patria Romanus, cuius Corpus, seu illius pars Roma ad Alatrinam Ciuitatem deuecta, in primario templo condita anno* 1584. *& pars alia in Titulo Tigridis recondita. præfuit ex Platina Ecclesiæ annis* 10. *Mensibus tribus, diebus* 11. *ac vacauit ex alijs Sedes per dies* 4.

De hoc Sancto agunt Martyrologia, *Romanum, Bedæ*, Adonis, *Vsuardi, & aliorum, Baronius in Notis, & in* Annal. *liber de Rom. Pontificibus inscriptus* Damasus, *Irenæus aduersus hæres. Eusebius in* Chronico, *& in hist. Optatus contra Parmen. Epiphanius, Augustinus Epist.*165. *Nicephorus in Chronico, Platina, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Egnatius Dantes* Episcopus Alatrinus *in narratione translationis Cinerum, & alij recentiores.*

S. Cœlestini. *Prisci filius, patria Romanus, cuius corpus è via Salaria ad Ecclesiam S. Praxedis in Montibus deductum esse scribit* Pancirolus. *Sedit ex alijs* Menses 5. *diesque* 3. *supra annum octauum, seu mensem vnum, & dies nouem supra nonum, vel decem menses, ac dies septem supra octauum.*

Celebrant Cœlestinum Martyrologium Romanum, Beda, ac reliqui superiùs laudati, cum Genebrardo, Prospero Aquitano, Marcellino Comite, Socrate, Euagrio, & alijs plurimis.

E 2 VIIIDVS

VII.IDVS APRILIS.

Romæ anno Christi 928. Ioannes X. Pontifex Maximus, in ordine centesimus vigesimus quintus, patria Rauennas, Vidonis Tusciæ Comitis, ac Marociæ vxoris fraudibus captus, & in carcerem coniectus, de loco quidem, ac munere, sed non perinde de constantia deiectus, ceruicali super os imposito suffocatus est, cum rexisset Ecclesiam per Menses duos, & dies sexdecim supra annum decimum quartum. Post turpem mortem sepultus in Laterano, vacauit Sedes dies duos.

Notæ. 7. Aprilis.

Ioannes. *ante Pontificatum Cynthius cognominatus, Ioannis filius, Opera* Alberti *Marchionis, Cleri suffragijs electus, sedit ex alijs Menses aliquot supra decimum quintum annum.*

Marocia notissima fœmina, quietis inimica, Vrbis principatum ambiens, Vidonem Maritum *impulit ad mortem* Ioannis *Pontificis, cuius meminere Guillelmus Bibliothecarius, Martinus* Polonus, *Io: de* Columna, Ptolomæus *Lucensis, Franciscus Petrarca, Niemus, Platina, Panuinius, Simonetta, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Baronius in* Annal. *Luitprandus, Flodoardus, Chronicon Cassinense, & alij.*

VI.IDVS

VI. IDVS APRILIS.

Romæ anno ſalutis 903. morte ereptus eſt Benedictus IV. in ordine centeſimus decimus nonus Pontifex Maximus, patria Romanus, qui annorum trium ſpatio, Menſium ſex, dierum quindecim, quibus Rempublicam Chriſtianam moderatus eſt, clementiſſimus, & humaniſſimus, idcirco Populo gratiſſimus, inter illius ſeculi Pontifices tanquam lucidiſſimum ſydus reluxit. Mortuus traditus ſepulturæ in Vaticano, vacauit Sedes per dies ſex.

Notæ. 8. Aprilis.

Benedictus. *Mamoli filius, Canonicorum Regularium* S. *Auguſtini inſtitutum ſequutus fuerat à puero.*

Tractant de Benedicto* S. Antoninus, *Panuinius, Guillelmns Bibliothecarius, Martinus Polonus*, Io: de Columna, *& reliqui ſuperiùs laudati.

V. IDVS APRILIS.

Anno Dominicæ Incarnationis 910. Romæ viuere deſijt Sergius III. Pſeudopontifex ex Comitibus Tuſculanis, qui per triennium contra Leonem V. legitimum Petri ſucceſſorem inuaſam Sedem occupauerat; mortuus ſepulchrum habuit in Vaticano.

Notæ. 9. Aprilis.

Sergius. *Benedicti Comitis Tusculani filius, suorum fretus potentia Sedem inuasit, quam per septennium occupasse volunt aliqui, & sepultum in Basilica Lateranensi, quam instaurauerat.*

De Sergio, præter Baronium in Annalibus, Au*ctorem Romæ subterraneæ, & Octauium* Pancirolum *de Thesauris Vrbis, superiùs laudati* Auctores *scripsere.*

IV. IDVS APRILIS.

Romæ in Palatio Vaticano è vita migrauit Gregorius huius nominis XIII. in ordine ducentesimus trigesimus Pontifex verè Maximus, patria Bononiensis, anno salutis 1585. ætatis 84. Pontificatus 12. Mense decimo, die duodetrigesimo, qui celebrato de more Iubilæo, viginti tribus Collegijs in varijs Orbis Christiani regionibus, pro Iuuenum institutione in literis, ac pietate, de nouo erectis; legatis Iaponicis ad obedientiam Sedi Apostolicæ ex vltimis noui Orbis Insulis Romam venientibus benignissimè exceptis, exornata Vrbe, octingentis sextertijs in Pauperes destributis, farinæ vectigali sublato, Ordinationibus octo in Cardinalium Collegium quatuor supra triginta præstantissimis Viris adlectis, horreis in Diocletiani Thermis ædificatis, Aqua Virgine in Vrbe deducta, repressis Genuensium discordijs,

restaurato Calendario, armato Henrico Galliarum Regi centum & quadraginta aureorum millibus contra Hereticos suppeditatis, faustum, æternumque Gregorij nomen Reipublicæ Christianæ reddidit. Cadauer ad Basilicam Vaticanam in Sacello à se in honorem S.Gregorij Nazianzeni erecto, post obitum conditum. Vacauit Sedes biduo tantum.

Notæ. 10.Aprilis.

Gregorius. *Hugo Boncompagnus ante Pontificatum vocatus, litterarum studia si quando per negotia licebat, nunquam intermisit, dicereque fuit solitus, nullum magis decere plura scire, quàm Pontificem Romanum.*

De hoc plura Auctarij Ciaconij, Abrahamus Bzouius, Ignatius Bomplanus, in Vita, Ascanius Valentia, Laurentius Fizolius in descriptione Sacelli Gregoriani, Ludouicus Iacobus *à* S.Carolo *in Bibl. Pontificia, Annales* M.SS. *de eius Pontificatu, Papyrius Massonus, Marcus Antonius Ciappus, Principius Fabritij, de gestis Gregorij XIII. Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Vbertus Folietta de sacro fœdere, Ludouicus Doninus Dattichy in hist.Cardinalium, Andreas Saussay de mysticis Galliæ Scriptoribus, Laurentius Surius in Commentarijs, & Historici omnes seculi decimi sexti.*

III. IDVS APRILIS.

*R*omæ memoria S. Leonis cognomento Magni, dignitate *M*aximi, natione Tuſci, Pontificis in ordine quadrageſimi ſexti, qui virtutum meritis Orbi Chriſtiano illuxit, cum multa ſanxiſſet, ac luculenter ſcripſiſſet de Sancta Dei Eccleſia, & vniuerſo grege Dominico Paſtor bonus, optimèque meritus, per legatos in Synodo Chalcedonenſi damnato Eutichete, quatuor vicibus conſecratis Epiſcopis 185. Presbyteris 81, Diaconis 31. hac die anno ſalutis humanæ 461. Pontificatus *M*enſe decimo, dieque duodetrigeſimo ſupra vigeſimum annum in pace quieuit, rerum geſtarum magnitudine, Pontificia ſanctitate, Apoſtolica facundia, modeſtia Chriſtiana, omnique virtute admirabilis. Sepultus in Baſilica Vaticana, vacauit Sedes per dies duodeuiginti.

Ibidem anno 678. peſte in Vrbe graſſante, obijt Donus, ſeu Domnus, patria *R*omanus, in ordine Pontifex vndeoctogeſimus,cuius eloquentiæ Epiſcopus *R*auennæ *R*omanorum *P*ontificum æmulus ſe illis ſpontè ſubmiſerat, vnica Ordinatione conſecratis Epiſcopis ſex, Presbyteris decem, Diaconis quinque, ſpatio *M*enſium quinque, dierum decem ſupra annum vnum, quo Eccleſiam rexit. Sepultus ad S. Petrum, vacauit Sedes per Menſes duos, dieſque duodetriginta.

Notæ.

Notæ. 11.Aprilis.

S. Leonis. *Quintiani filius sedit ex alijs Mensem vnum, diesque 26. supra annum vigesimum primum, ordinauitque Episcopos 186. alijs 185. cuius ossa in nouam Basilicam translata, cum illis SS.Leonum II.III.& IV. in superiori Sacello, quod meridiem respicit, collocata.*

De Leone scripsere Martyrologia, Romanum, Bedæ, & aliorum, Baronius in Notis, & in Annal. *Anastasius Bibliothecarius*, Panuinius, *Genebrardus, Robertus* Card. *Bellarminus de Rom.*Pontif. *& de Script, Binius, Ciaconius cum suis* Auctarijs, *Idatius Episcopus*, Prosper Aquitanus in Chronico, *& reliqui omnes qui historiam Ecclesiasticam*, Pontificiam, *& Sanctam explicarunt.*

Donus. *Mauritij filius sedit ex alijs annos duos, menses quinque, dies* x. *dictus etiam Domnion, Conus, vel Cunon.*

Est huiusce mentio apud Anastasium *Bibliot.Martinum* Polonum, *Ioannem de Columna, Ptolomæum Lucensem, S.* Antoninum, *Panuinium, Franciscum Petrarcam, Niemium, Platinam, S.monettam, Stellam*, Ciaconium *eiusdemque* Auctarios, *& alios plures.*

PRIDIE IDVS APRILIS.

Romæ anno Domini 352. obitus S. Iulij Papæ, in ordine trigesimi sexti, patria Romani, qui

qui aduersùs Arianos pro fide Catholica multùm laborauit, multaque præclarè gessit, tribus ordinationibus Episcopis IX. Presbyteris XVIII. Diaconis vero III. consecratis per annos quindecim, menses quinque, & dies septem supra decem, Petri nauim inter procellas sanctissimè rexit. Sepultus Via Aurèlia in Cœmeterio Callepodij, tertio ab Vrbe lapide. Vacauit Sedes per dies 25.

Ibidem anno 847. Sergius huius nuncupationis secundus, in ordine centesimus quartus Pontifex Maximus, patria Romanus, ordinatione vna celebrata Episcoporum 23. Presbyterorum 8. Diaconorum 3. reque ecclesiastica per annos tres, Menses duos, dies tres bene administrata, ex dolore vastationis Vrbis à Saracenis factæ, decessit. sepultus in Vaticano, non vacauit neque per diem Sedes etenim eodem, quo obijt, euulgatus est successor.

Notæ. 12. Aprilis.

S. Iulij. *Rustico patre hic natus, sedit ex alijs annos* 11. *Menses* 2. *dies* 7. *seu annos* 15. *menses* 2. *dies* 6. *vel Menses* 5. *diesque* 16. *supra annos sexdecim. Exturbatos ab Arianis Episcopos Romæ benignissimè recepit, numquam exilium ille passus est, nam Ecclesia Catholica in Occidente summa fruebatur tranquillitate, ita vt sua auctoritate Synodum Sardicensem aduersùs Arianos congregare valuerit, ex qua extorres & exules Catholici Episcopi postlimi-

liminio ad propria redierunt.

Corpus è Cœmeterio Callepodij, in quo primò conditum, vt diximus, iussu Gregorij IV. ad Basilicam S. Mariæ Transtyberim translatum, iacet sub ara maxima.

Agunt de Iulio Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annal. Beda, Vsuardus, Ado, Anastasius, Platina, Panuinius, Genebrardus, Io: Stella, Martinus Polonus, Io: de Columna, Ptolomæus Lucensis, Petrarca, Niemus, Simonetta, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, & alij plures.

Sergius. *Sergij filius de regione quarta, ante Pontificatum Sergius, seu ex alijs Octauianus nuncupatus, sedit annos 3. Mensem 1. seu 2. totidemque dies.*

Meminere Sergij, Anastasius, Ciaconius cum suis Auctarijs, ac reliqui omnes, qui Vitas Romanorum Pontificum descripserunt, præter Baronium in Annal. Flodoardum in historia Remensi, Annalium Francorum Auctores, & alios plures.

IDIBVS APRILIS.

Mantuæ in Synodo anno Domini 1064. Cadaolus Pallauicinus Episcopus Parmensis, qui absens in Conuentu Basileensi ab Episcopis & nonnullis Cardinalibus Henrici Cæsaris fautoribus euulgatus Pseudopontifex sub nomine Honorij II. Ecclesiam Romanam armis infestabat contra Alexandrum II. Pontificatu priuatur.

Anno verò post Christum natum 1164. Lucæ

in

in Etruria è vita excessit Victor IV. Antipapa, quinto suæ sedis anno. sepultus extra Ciuitatem; nam Canonici maioris Ecclesiæ, & Regulares S.Fridiani defuncto sepulchrum denegarunt apud se. Alexander tamen Pontifex, alter Dauid persecutorem suum defleuit extinctum, & Cardinales de morte illius exultantes durius increpauit.

Notæ. 13. Aprilis.

Cadaolus. *spoliatus Pontificatu vixit in regimine Ecclesiæ Parmensis.*

De illo Auctores omnes tractant, qui vitam Alexandri II. *explicarunt, præter Baronium in Annal. & Vghellium in* Italia *sacra.*

Victor. *Octauianus de Monticello antea dictus, patria Romanus, nobilissimo genere natus.*

De quo agunt Otho Murena, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Baronius, & alij plures.

XVI. KAL. MAII.

Anno Dominicæ natiuitatis 1054. Pontificatus 4. Mense 2. die 8. animam Deo reddidit Leo huius nuncupationis IX. in ordine centesimus quinquagesimus quartus, natione Gallus, qui dum Romæ vixit, tertio quoque die à Laterano in Vaticanum nudis pedibus, tribus tantùm Clericis comitatus in silentio noctis procedere psallendo, atque orando solitus fuit. claruit autem hic Pontifex pietate, innocentia, & hospi-

hospitalitate, ita vt eius domus peregrinis & egenis semper patuerit; quæ sibi gratissima fuisse sequenti euentu demonstrauit Deus; nam cum aliquando leprosum ante fores Laterani offendisset, eum in lectulo suo collocauit. hic mane non inuentus Christus fuisse existimatus est. in Synodo Romana Gerardum Tullensem Episcopum Sanctis, & quatuor supra viginti viros doctrina præstantes Cardinalium Senatui adscripsit. Sepultus post obitum apud S. Petrum in Vaticano, insignia edidit miracula. Vacauit Sedes Menses vndecim, & dies 24.

Notæ. 16. Aprilis.

Leo. *Bruno antea vocatus, Hugonis Comitis Daspurgensis filius. cuius dies festus celebratur singulis annis in Ecclesia Romana* 19. *Aprilis*.

De hoc præter Martyrologia tractant Baronius in Annalibus, & in Notis ad Martyrologium Romanum, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Leo Ostiensis, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, & alij apud eosdem.

XV. KAL. MAII.

Romæ S. Aniceti Papæ, in ordine duodecimi, natione Syri, qui in persecutione Marci Aurelij Antonini, & Lucij Veri, cum ordinationes quinque, Episcoporum 9. Presbyterorum 17. Diaconorum 4. spatio nouem annorum, minus

men-

mensibus tribus, & diebus septem, quibus rexit Ecclesiam, celebrasset, martyrij palmam accepit anno Christi 175. Corpus via Appia in Cœmeterio postea Callisti nuncupato, ad Catacumbas secundo ab Vrbe lapide sepultum; inde sub Clemente VIII. extractum, concessum Ioanni Angelo Duci ab Altemps, illud in domestico Sacello honorificè reposuit. Vacauit post eius obitum Pontificia Sedes per dies 17.

Notæ. 17. Aprilis.

S. Aniceti. *Ioannis filius, cui Beda annos* XI. *in Pontificatu tribuit, Damasus verò supra annos* XI. *Menses* 4. *diesque* 3. *Auctor vitæ annos* 9. *& Menses tres, Petrus de Natalibus Menses* 4. *& dies* 4. *Panuinius* Menses 8. *& dies* 14. *supra nouennium, demum Ludouicus* Iacobus *à S. Carolo annos sex, menses octo & dies duodetriginta.*

Occasione translationis Ossium huius Sancti, idem Io: *Angelus Dux ab Altemps Vitam eiulgauit cum narratione translationis.*

De Aniceto præter laudatos tractant Martyrologia Romanum, Bedæ, Vsuardi, Adonis *& aliorum; insuper Baronius in Notis & in Annal.Ireneus, Optatus, Epiphanius - Eusebius, Nicephori ambo, Augustinus Epist.* 165. *Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui omnes, qui tum Pontificiam tum Ecclesiasticam historiam descripserunt.*

XII. KAL.

XII. KAL. MAII.

In Rocca Maula super amnem Rhodanum in Prouincia Narbonensi, anno post Christum natum 1314. dum Auenione Burdegalam peteret, obijt Clemens huius nominis V. in ordine centesimus nonagesimus septimus Pontifex Maximus, natione Gallus, qui omnium primus ad Gallos Petri Sedem transtulit, Templariorum Ordinem abrogauit, Hierosolymitanam expeditionem promouit, Henricum Cæsarem per legatos Romæ, Auenione verò suis manibus Robertum Ducem Calabriæ, Regem Neapolis coronauit, Petrum Moronum, alijs Cœlestinum V. Sanctis annumerauit, septem, & viginti præstantes Viros sacra purpura ornauit, spatio octo annorum, Mensium decem, dierum sexdecim, quibus sedit in Apostolica Sede. Corpus in ædicula B. Mariæ de Vzesta, Villulæ ignobilis Vasatensis Diœcesis ipso mandante sepultum. Vacauit Sedes per Menses tres, diesque 17. supra biennium.

Notæ. 20. Aprilis.

Clemens. *Bertrandus Archiepiscopus Burdegalensis extra Cardinalium Collegium, & absens electus Pontifex, præfuit Ecclesiæ ex Platina, & Bernardo dies quindecim, ex Genebrardo dies decem, ex Sandero verò Menses tantùm decem supra annos octo. Meminere Clementis Ægidius Cardinalis Viter-*

bien-

bienſis, Odericus, Spondanus, Bzouius, Zurita, Belforeſtius, Nicolaus Ægidius, Mariana in ſuis Annalibus, Arnaldus Vaſatenſis, Vveſtmonaſterienſis, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Ciaconius cum Auctarijs, Auctores Galliæ Chriſtianæ, ac reliqui omnes, qui Eccleſiaſticam & prophanam hiſtoriam ſeculi decimi quarti enarrarunt.

X. KAL. MAII.

Romæ via Appia natalis S. Concordij Soteris Martyris Papæ, in ordine decimi tertij, patria Fundani, qui Ordinationibus ſex, Epiſcopos XI. Presbyteros XVIII. Diaconos IX. annorum ſeptem, Menſium vndecim, dierum decem & ſeptem ſpatio, quo res Eccleſiæ prudentiſſimè, ſanctiſſimèque adminiſtrauit, ſacro perunxit oleo, obdormiuit in Domino anno ſalutis 182. Corpus è Cœmeterio, in quo primò conditum; ad Equitij, alij ad Tigridis Titulum tranſlatum volunt. vacauit Sedes per diem vnum ſupra vigeſimum.

Ibidem anno poſt Chriſtum natum 296. ſub Diocletiano Imperatore Martyrium S. Caij Papæ, in ordine vndetrigeſimi, natione Dalmatæ, patria Salonitani, qui regiones Vrbis Diaconis aſſignauit, Ordineſque in Eccleſia diſtinxit, nec non Epiſcopos 5. Presbyteros 25. Diaconos 8. conſecrauit per annos XII. Menſes IV. dies VI. quibus præfuit Reipublicæ Chriſtianæ. Sepultus in Cœmeterio Via Appia, tertio ab Vrbe milliario.

rio. vacauit Sedes per dies 15.

Anno verò 1073. ibidem senio confectus decessit Alexander huius nominis II. in ordine centesimus quinquagesimus octauus, patria Mediolanensis; qui contra Cadaolum inuasorem Sedis Pontificiæ sub nomine Honorij II. Concilium Mantuanum, & Lateranensia duo contra Simoniacos celebrauit, atque ad Cardinalatum supra triginta præstantes viros promouit, spatio vndecim annorum, Mensium sex, dierum 22. quibus Christianam Rempublicam moderatus est; Corpus Terræ datum in Basilica Constantiniana, eademque sui obitus die electus in Pontificatu successor.

Notæ. 22. Aprilis.

Concordij Soteris. *Concordij filius sedit ex Baronio annos 4. minùs 12. diebus, ex Damaso verò Menses 7. diesque 22. supra nouennium. Ossa cuius nostra ætate iacent in Titulis Tigridis, & Equitij, & in Ecclesia Toletana.*

De S. Sotero tractant Martyrologia omnia, nec non Irenæus, Eusebius in Chronico & in hist. Optatus, Augustinus epist. 165. Ciaconius cum Auctarijs, Ioannes Tamagus de Salazar in Martyrologio Hispanico, & alij omnes, qui Pontificum Romanorum Vitas descripserunt.

S. Caij. *Caij Maximi filius, Romanam moderatus est Ecclesiam per Menses 4. dies 12. supra biennium ex aliquibus, ex alijs verò Menses 4. dies 11. supra*

F *nouen-*

nouennium, vel demum aliorum testimonio per annos 15.

Huius cineres iacent Nouellariæ ex dono Gregorij XV. seu in Vaticano, vel Bambergæ in Germania, aut in ipsa Vrbe apud ædem S.Caio sacram. Vnaquæque harum Ecclesiarum gloriatur habere huius Sancti Corpus, seu partem illius.

De S.*Caio est memoria in Martyrologijs Romano, Bedæ,* Adonis, *&* Vsuardi; *item apud Baronium in Notis, & in Annal. apud Eusebium in Chronico, & in hist. Optatum, Augustinum, Nicephorum, apud Auctores actorum* SS.*Sebastiani, & Susannæ, apud Ciaconium & reliquos, qui historiam Ecclesiasticam, vel Pontificiam exararunt.*

Alexander. *Anselmus de Bedagio, Episcopus Lucensis, Anselmi nobilis Mediolanensis filius, vixerat Canonicus in Lateranensi Basilica: Lucensem Ecclesiam parte corporis* S. *Alexandri I. Pontificis donauit.*

Celebrant nostrum Alexandrum Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi, Baronius in Annal. Pandulphus Pi*sanus, Martinus* Po*lonus, Io: de Columna,* Pto*lomæus Lucensis, Petrarca, Niemus,* Pl*atina,* Pan*ninius, Simonetta, Stella, Ciaconius cum* Au*ctarijs, & alij plures.*

IX. KAL. MAII.

Anno Dominicæ Natiuitatis 757. cum morti proximus esset Stephanus huius nominis Tertius, aliqui habitis Comitijs Theophylactum

quem-

quemdam Archidiaconum, alij verò Paulum, Stephani fratrem Pontificem proclamarunt. post mensem præualuere, qui Paulum nominarunt, illi autem, qui pro Theophylacto stabant, dispersi, ansam Theophylacto dederunt descendendi è Throno, quem iniustè occupauerat.

Notæ. 23. Aprilis.

Theophylactus. *huiusce genus ignotum, non enim Scriptores nisi nudum nomen proferunt.*

Vide acta Pauli I. apud Baronium, Panuinium, Ciaconium, & alios.

VIII. KAL. MAII.

Anno salutis 1045. Ioannes quidam à factiosis hominibus electus Pseudopontifex apud Basilicam Liberianam, sedi cessit, ne Ecclesiæ pacem & quietem perturbaret.

Notæ. 24. Aprilis.

Ioannes. *Tres eodem tempore inuaserant* Cathedram *Petri, Benedictus, Siluester, & Ioannes, qui omnes cesserunt, suasu Ioannis Gratiani Petri Leonis, Cardinalis S. Ioannis ante Portam Latinam.*

De Ioanne Pseudopontifice, vide Ciaconium, Baronium, & Panuinium.

VII. KAL. MAII.

Auenione anno salutis 1342. in Palatio Apostolico, quod fabricauerat, decessit Benedictus XI. dictus XII. in ordine centesimus nonagesimus nonus Pontifex Maximus, sanctissimis moribus, & scientia illustris, Ordinis Cistercienfis, Galliæque clarum lumen, Theologiæ Doctor eximius, virorum bonorum, nec non doctorum valde studiosus, qui multa præclara statuit, tum ad morum, cum ad Ecclesiasticæ disciplinæ instaurationem spectantia. Sedit in Pontificatu annos septem, menses quatuor, diesque sex, vnica tantùm habita sex, aut septem Cardinalium creatione. Sepultus in Cathedrali S. Mariæ de Donis. vacauit Sedes dies vndecim.

Notæ. 25. Aprilis.

Benedictus. *Fr. Iacobus Furnerius, natione Gallus, in oppido Sauarduno Prouinciæ Tolosanæ, ignobili genere, & obscuris parentibus natus, Franciscum Petrarcam vnicè dilexit.*

Andreas Saussay in Martyrologio Gallicano scribit, Benedicti corpus Tolosæ quiescere. Auenione tamen est illius sepulchrum cum Epigraphe.

Benedictum laudant Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Platina, in Vita, Genebrardus, Sanderus de visibili Monarch. Eccles. Ægidius Cardinalis Viterbiensis, Odericus in Annal. Eccles. Bosquetus,

tus, *S. Antoninus*, *Ptolomæus Lucensis*, *Frizonius in Gallia purpurata*, *Marraccius de Pontif. Marianis*, *Paulus Iouius de Viris illust. Guillelmus Eisengrenius in Catal. Scriptorum Orthodoxorum*, *Carolus de Visch in Bibliot. Cisterciensi*, *&* *alij plures*.

VI. KAL. MAII.

Romæ natalis B. Cleti Papæ, patria Romani, qui secundus post Apostolum Petrum per annos XII. Menses 7. dies 2. Romanam rexit Ecclesiam, & in persecutione Domitiani anno salutis 92. martyrio coronatus est. Corpus in Vaticano iuxta memorias Sanctorum Petri, & Lini decessorum sepultum; vacauit Sedes per dies 20.

Ibidem mors Sancti Marcellini patria Romani, in ordine Pontificum trigesimi, qui sub Maximiano pro fide Christi, cum administrasset Christianam Rempublicam per annos septem, menses 9. dies 27. duabus habitis ordinationibus, quibus Episcopos V. Presbyteros IV. Diaconos II. consecrauit capite damnatus anno Domini 304. martyrium subijt. Corpus cum iacuisset via publica insepultum per dies 36. Petri Apostoli iussu sepultum via Salaria, tertio ab Vrbe lapide in Cœmeterio Priscillæ postea dicto. vacauit Sedes post huius obitum menses sex, dies 25.

Anno verò 757. eadem in Vrbe decessit Stephanus huius nuncupationis III. alijs II. in

ordine Pontifex nonagesimus quartus, patria Romanus, vir cum cæteris virtutibus inclytus, tum aucta Exarchatus, Pentapolisque ditione Ecclesia, facilè cum Gregorio Magno, qui Spoletanum Ducatum adeptus, conferendus, primus Pontificum qui Alpes transgressus; per annos quinque, diesque vndetriginta, vnica habita ordinatione Episcoporum 4. Presbyterorum 2. totidemque Diaconorum Petri nauim sanctissimè rexit. post obitum sepultus in Vaticano, vacauit Sedes per mensem vnum & dies 2.

Notæ. 26. Aprilis.

B. Cleti. *Æmiliani de Vico Patricij filius, Clytus ab alijs dictus.*

Beda Cleti martyrium 3.Kal.aut Nonis Maij, Frizonius 7.Kal.Septembris adscribunt.

De illo Martyrologia Romanum, Vsuardi, Adonis, Baronius in Notis, & in Annal. liber de Roman.Pontificibus, S.Hieronymus de Scrip. Eccl. Panuinius, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

S. Marcellini. *Proiecti filius sedit ex libro Damasus prænotato, annos 9. ex Platina 6. & menses 2. cum diebus 16. ex Maurolyco menses 4. supra nouennium, ex alijs verò annos 8. Menses 11. dies 22.*

Huius Pontificis cineres è Cæmeterio ad Vaticanum, è Vaticano ad Ecclesiam SS.Petri & Marcellini deducti. Caput asseruatur in Basilica Liberiana.

Rotho-

Rothomagi in Cænobio S. Audæni Fideles venerantur ossium aliqua ex Martyrologio *Gallicano.*

De S. Marcellino agunt Martyrologia *omnia, Baronius in* Notis, *& in Annal. Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui omnes indicati superiùs.*

Stephanus. *Constantini filius, dictus II. cum re vera fuerit tertius huius nominis* Pontifex *Maximus in Gallias se conferens à Pipino Rege summis honoribus exceptus est.*

De Stephano est mentio apud Baronium in Annal. apud Ciaconium, eiusdemque Auctarios, *Platinam,* Panuinium, Anastasium *Biblioth.* Io: de Columna, *Ptolomæum Lucensem,* Petrarcam, *Niemum, Martinum Polonum, Simonettam, Stellam, Binium, &* Auctores *illos, qui Pipini acta euulgarunt.*

V. KAL. MAII.

Romæ depositio Beati Anastasij Papæ, in ordine quadragesimi, patria Romani, viri ditissimæ paupertatis, & Apostolicæ sollicitudinis, quem, vt ait S.Hieronymus, diù Roma habere non meruit, ne Orbis caput sub tali Episcopo truncaretur; nam haud multò post eius obitum Roma à Gothis capta, atque direpta fuit. cum sedisset annos quatuor, mensem vnum, dies 13. ordinatis duabus vicibus Episcopis x. Presbyteris 8. Diaconis 5. anno Domini 402. obdormiuit in Domino titulo sanctitatis insignis, relatusque in Sanctorum Catalogum aniuersaria memoria celebran-

dus. Sepultus in Cœmeterio suo ad Vrsum pileatum, via Portuensi, vacauit Sedes per dies 20. seu 21.

Ibidem anno seculi decimi septimi quinto, Leo huius nominis XI. in ordine trigesimus sextus supra ducentesimum Pontifex Maximus, patria Florentinus, decessit, qui ne vnum quidem in Pontificatu mensem expleuit, nam creatus Kalendis Aprilis, esse desijt 27. eiusdem mensis die, consummatus licèt in breui, expleuit tempora multa. ægrotans suasionibus plurimorum adduci non potuit, vt Nepotem suum, modestissimum adolescentem, quem penes se educauerat, & vnicè diligebat, crearet Cardinalem; Confessarium verò ista ingerentem longè longiùs repulit, & ad se accedere imposterum vetuit, vt quem magis indulgere affectui Coniunctorum, quàm animæ suæ saluti consulere cognouisset. demortui Leonis corpus ad Basilicam Vaticanam deuectum in ea iacet in pernobili sepulchro. Vacauit Sedes per dies vndeuiginti.

Notæ. 27.Aprilis.

B. Anastasij. *Maximi filius, sedit ex Anastasio annos duos, & dies 24. ex Platina Annos 3. dies 10. ex Panuinio annos 3. & dies 21. Huius corpus ex Cœmeterio, in quo primùm conditum fuit, deductum ad Titulum Equitij; cuius partem in S. Praxede reponit Pancirolus.*

Agunt de S. Anastasio Martyrologium Romanum,

num, Beda, Vsuardus, Ado, Prosper in Chronico Sozomenus, Baronius in Annal. & in Notis, Ciaconius cum suis Auctarijs, alijque omnes, qui historiam Pontificiam descripserunt.

Leo XI. *Octauiani Medicei filius, cui Robertus Cardinalis Vbaldinus ex Sorore pronepos tumulum in Vaticano excitauit.*

Laudatus est tantus hic vir à Baronio in Gregorio VIII. *à Ciaconij Auctarijs, ab Henrico Spondano in Annal. Eccles. à Francisco Bocchio, à Laurentio Berlinck, à Petramellario, ab Antonio Vipereschо in oratione funebri, à Ioanne Hemelario, à Tolomeo, à Vincentio Borghino, & alijs.*

PRIDIE KAL. MAII.

Romæ anno à partu Virginis 1555. apoplexia vitam amisit Marcellus II. in ordine ducentesimus vigesimus sextus Pontifex Maximus, patria Politianus, vir integerrimus, omni laude cumulatus, & Pontificio muneri omnium opinione par, sed illi non præfuit, nisi per dies 21. Cadauer in Basilica Vaticana sepulchrum habuit, & post eius obitum vacauit Sedes dies 22.

Notæ. 30. Aprilis.

Marcellus. *Richardi Ceruini filius, Marcellus à sacris vndis nuncupatus, antiquum nomen in breui Pontificatu retinuit.*

De Marcello tractant Ciaconius cum Auctarijs,

Iulius

Iulius Poggianus, *Panuinius*, *Acta Concilij Tridentini*, *Sfortia Cardin. Palauicinus in hist. Concilij Tridentini*, *Sadoletus*, *Bembus*, *Paulus Manutius*, *Latinus Latini in Epistolis*, Marcellus *Ceruinus pronepos in oratione funebri*, *Robertus* Card. *Bellarminus*, *Robertus Nobilis Cardinalis*, *Hippolytus Marraccius in* Pontif. Marianis, *Ludouicus Donius* d'Atticby *in hist. Cardinalium*, *Bzouius*, *Spondanus*, *in* Annal. *Eccles.* *Ferdinandus* Vghellius *in* Italia *sacra*, *& Historici ferè omnes seculi decimi sexti.*



MAIVS

MAIVS.

KAL. MAII.

ROmæ anno à partu Virginis 1045. cum texisset Christianam Rempublicam per menses 4. & dies 20. supra annos duodecim, sponte Pontificatum abdicauit Benedictus VIII. dictus IX. Benedicti VIII. alijs VII. & Ioannis XIX. ex fratre nepos. Vexabant Romanam Ecclesiam Siluester III. & Gregorius VI. Pseudopontifices; Benedictus cum se omnium odio, ac contemptu haberi videret, nec satis roboris ad tantam procellam sustinendam haberet, honore se vltro hac die abdicauit.

Ibidem anno 1572. ætatis 68. Pontificatus 7. omnium mœrore incredibili terris ereptus est Pius huius nominis V. in ordine ducentesimus vndetrigesimus Pontifex Maximus, Boschi in Liguria natus, omnium virtutum exemplar, qui antiquos Sanctos Pontifices æmulatus, Catholicam fidem propagauit, Ecclesiasticam disciplinam restituit, Selimum Turcarum Imperatorem, Christianis extrema minitantem, non tam armis, quàm precibus repressit, Galliam contra Hæreticos defendit, Regique Regnum cum religione restituit placatum. Cardinalium Collegium viginti & vno Cardinali auxit, Ecclesiæ quatuor Doctoribus, S. Thomam Aquinatem quintum annumerauit. Post obitum in Vaticano sepultus, inde à Sixto V. successore ad S.Ma-

riæ Maioris Basilicam, sacramque ædem siue Sacellum à se regia structura & impensa ædificatum, solemni pompa translatus fuit. Vacauit Sedes per dies 12.

Notæ. 1. Maij.

Benedictus. *Theophylactus antea vocatus, Alberici ex* Comitibus *Tusculanis filius.*

De quo tractant Leo Ostiensis, Glaber, acta S. Bartholomæi Abbatis Cryptæ Ferratæ, Panuinius, Platina, Baronius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Pius. *ex familia Ghisileria, Pauli filius, Ordinis Prædicatorum Alumnus, Fr.* Michaël *ante Pontificatum nuncupatus.*

De Pio sanctissimo Pontifice *tractant Auctarij Ciaconij,* Panuinius, *Gabutius, Carraccia in* Vita, *Henricus Spondanus in Annal.* Eccles. Antonius *à Fontemaiori in* Vita *Hispanicè descripta, M. Antonius Muretus in oratione funebri, Vbertus Folietta libro de sacro fœdere, Ludouicus* Iacobus *à* S. *Carolo in Bibl. Pontificia, Marcellus* Palonius *in Carmine, Hieronymus Catena, Hippolytus Marraccius in Pont. & in Bibl. Mariana,* Petrus Courtier *S.I. in Opere Mariano, & alij omnes, qui seculi præteriti historias euulgarunt.*

V. NONAS MAII.

Romæ anno salutis 129. sub Hadriano Principe,

cipe, & Aureliano iudice, via Numentana post vincula, carceres, equuleum, vngulas, & ignes, punctis creberrimis per tota membra confossus ac peremptus est Alexander huius nominis primus, in ordine septimus Pontifex, patria Romanus de Vico Caput Tauri, cum præfuisset Ecclesiæ per menses quinque, & dies 21. supra decennium, cuius corpus religiosa Matrona eodem in loco, honorificè sepeliuit. Vacauit Sedes per dies 35.

Bononiæ verò anno post Christum natum 1410. Alexander V. Pontifex in ordine ducentesimus octauus, patria dubia, insignis Orator, Theologus magni nominis, vir integerrimus, Pontificatus sui post mensem octauum die octaua decessit. Sepultus ibidem apud Minores, quorum institutum à puero professus fuerat. Vacauit eo mortuo Romana Sedes per dies 14.

Notæ. 3. Maij.

Alexander. *morti traditus ex alijs anno 132, 4. vel 3 Nonas, seu Nonis Maij, ac sedit Menses tantum quinque supra decennium.*

Venerantur huius Sancti reliquias Iustinopolitani, Parmenses, Lucenses, Sulmonenses, & alij in suis Ecclesijs.

Meminere S. Alexandri Martyrologium *Romanum, Baronius in Notis, & in Annal. Beda, Acta apud Surium Tomo 3. Irenæus, Eusebius, Augustinus Epist. 165. Ciaconius cum suis Auctarijs,*

Ranu-

Ranutius Picus, Mutius Iustinopolitanus, Franciottus, Galesinus, S. Antoninus, & alij omnes, qui historiam Pontificiam, vel Ecclesiasticam contexuerunt.

Alexander V. *Petrus Philargus ante* Pontifica*tum dictus, incerto stirpe, & patria. Excludunt hunc à numero Pontificum aliqui, quia à Concilio Pisano contra legitimum Pontificem euulgatus, alij tamen vt legitimum agnoscunt.*

M*alè Hæreticorum plures* Alexandrum *tractant; Catholici verò eumdem summis laudibus extollunt. Vide Ciaconium, eiusdemque Auctarios, Panuinium, Platinam, Bzouium, Henricum Spondanum, Odericum in Annal. Ecclesf. Petrum Rodulphum, Lucam Vvadingum, Genebrardum, Sanderum, Papyrium Massonum, Fulgosium, Ægidium* V*iterbiensem, S. Antoninum, Seuerinum Binium, Bartholomæum* Pi*sanum, Ludouicum* Ia*cobum à S.Carolo in* Pontifi*cia, Marraccium in Mariana Bibliotheca, & alios plures.*

PRIDIE NONAS MAII.

Anno salutis humanæ 939. Romæ decessit Leo VII. in ordine Pontifex centesimus vndetrigesimus, patria Romanus, qui annorum trium, Mensium sex, & dierum decem spatio, quo præfuit Ecclesiæ, Ciues adhuc tumultuantes ad concordiam reuocauit, res Italas composuit, externos hostes placauit, ac Barbaros ab Italia propulsauit. Sepultus

tus ad S.Petrum, Vacauit Sedes per mensem vnũ.

Notæ. 6. Maij.

Leo. *natione Italus & patria Romanus, vt diximus, sed incerto genere.*

Agunt de illo Edoardus, Baronius in Annal. S. Antoninus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Ioannes Stella, Guillelmus Bibliothecarius, Martinus Polonus, Io: de Columna, Ptolomæus Lucensis, Franciscus Petrarca, Niemus, Simonetta, Auctor Romæ subterraneæ, Ludouicus Iacobus à S. Carolo in Biblioth. Pontificia, alijque quamplures.

VII. IDVS MAII.

In villa quæ Vvilczachara nuncupatur ad Scultinium fluuium in Æmilia anno Dominicæ natiuitatis 885. Hadrianus III. in ordine vndecimus supra centesimum Pontifex Maximus, patria Romanus, de quo Clerus, Populusque Romanus magnam spem conceperat, ob eius virtutem, & animi magnitudinem, decessit è vita, postquam annum vnum, menses tres, & dies vndeuiginti in Pontificatu vixerat. Sepultus in Basilica S. Petri, collacrymantibus omnibus, atque ingemiscentibus tantum parentem, tam repentè sibi ablatum. Vacauit Sedes biduo.

Notæ. 9. Maij.

Hadrianus. *Benedicti filius, Agapitus antea vocatus, de regione via lata, Comitum Tusculanorum suffragante factione electus.*

Laudat Hadrianum S. Antoninus, Baronius in Annal. Gaulterius in tabula Chron. Guillelmus Bibliothec. Simonetta, Platina, Ciaconius, & alij aliàs laudati.

IV. IDVS

IV. IDVS MAII.

Anno reparatæ ſalutis 1003. Romę Syluester II Aquitanus, Gerebertus antea vocatus, in ordine Pontifex 144. Philoſophus eximius, Mathematicus peritiſſimus, ſanctè, & prudenter adminiſtrato Pontificatu per Menſes ſex, dieſque 12, ſupra annum quartum è vita decedens ſepulchrum habuit in Laterano: poſt cuius obitum vacauit Sedes per dies 25.

Notæ. 12. Maij.

Platina Martinum ſequutus de Syluestro malè opinatur non ſine iniuria. Vide Ciaconium, eiuſdemque Auctarios & alios apud eoſdem verum dicentes.

PRIDIE IDVS MAII.

Romæ anno Dominicæ Incarnationis 647. ſeu 649. è vita migrauit Theodorus huius nominis primus, in ordine ſeptuageſimus quartus Pontifex Maximus, natione Græcus, Hieroſolymis natus, qui Synodum Romanam contra Paulum Patriarcham Conſtantinopolitanum, hæreticũ conuocauit, Ordinationemque vnam Epiſcoporũ 46. Presbyterorum 22. Diaconorum aliquorum habuit, ſpatio annorom ſex, menſium quinque, dierũ vndeuiginti, quibus præfuit Eccleſiæ Romanæ, ſemper in Pauperes benignus, in omnes munificus, vt bonum decet Paſtorem. Sepultus in Vaticano, Vacauit Sedes per dies 21. ſupra menſem.

Ibidem anno poſt Chriſtum 824. viuere deſijt Paſchalis I, Pontifex, in ordine centeſimus, qui Lotharium Imperatorem, & Regem Italiæ à Pipino euulgatum, ipſo Paſchatis Reſurrectionis

ctionis die in Vaticano Regem & Cæsarem inunxit, imposita de more corona, & in Synodo 30. Episcoporum coniecturis, rationibus, & iuramento à morte Theodori Primicerij, & Leonis Nomenclatoris se purgauit, seditque Menses tres, dies 17. supra septennium, quo tempore duabus Ordinationibus Episcopos 15. Presbyteros 7. totidemque Diaconos consecrauit. Mortuus sepultus in Basilica S. Petri in tumulo, quem ipse viuens sibi fieri curauerat; vacauit Sedes per dies 4.

Anno verò 964. extra Vrbem decessit Ioannes XII. in ordine Pontifex centesimus trigesimus tertius, patria Romanus, priuatus, sed iniustè Pontificatu, Pseudosynodi Romanæ potentia, & armis Leonis VIII. Antipapæ. vixit hic modò exul; modò à suis vexatus in regimine Ecclesiæ Menses quatuor, totidemque dies supra annum octauum. post obitum sepultus in Lateranensi Basilica, non vacauit Sedes, nam ipso die Ioannis obitus, electus est Benedictus V. dictus VI.

Notæ. 14. Maij.

Theodorus. *Theodori Episcopi ex legitimo matrimonio filius; quidquid, vt refert S. Antoninus habere poterat, expendebat in Pauperes, & redimendos captiuos; sedit ex Baronio annos 7. Menses 5. dies 20.*

Meminere Theodori præter recensitos Auctores, Anastasius Bibl. Martinus Polonus, Bonifacius Si-

 monet-

monetta, Platina, Panuinius, *Niemus, Ptolomæus Lucensis, Io: de Columna,* Ciaconius cum *Auctarijs, & alij.*

Paschalis. M*aximi Bonosi filius, Monachus Benedictinus.*

Theodorus, & Leo in Lateranensi Basilica, seu Palatio *confossis oculis necati fuerant; non deerant, qui tantum crimen in* Paschalem *reijcerent, ille à calumnia in Synodo se purgauit.*

Sunt qui volunt Paschalis *corpus iacere in Titulo S. Praxedis.*

De Paschali *præter Auctores illos, qui* Pontificiam *& Ecclesiasticam historiam descripserunt, tractant Eginhardus in Annal. Theganus de gestis, & Anonymus in Vita Ludouici Imperatoris, alijque multi.*

Ioannes. *Octauianus ante* Pontificatum *vocatus ex Comitibus Tusculanis, Alberici filius, de regione via lata, Ioannis XI. & Sergij III. pronepos.*

Ioannem à calumnijs defendunt Petrus *Guillelmus in Vita, & Ioseph Maria Suarcsius Episcopus* Vasionensis *in Diatriba.*

Agunt de illo S. *Antoninus, Baronius, Ioannes Stella,* Panuinius, *Ciaconius, cum* Auctarijs, *Frodoardus in Chronico,* Annales *Fuldens, alijque quamplures.*

IDIBVS MAII.

*R*omæ anno Christi 685. Pontificatus sui mense x. die xii. obijt Benedictus II. patria Romanus,

manus, Pontifex Maximus, in ordine secundus supra octogesimum, cuius tanta fuit opinio sanctitatis, vt Heraclius Constantinus Imperator vsurpatam à Prædecessoribus suis auctoritatem in Romanorum Pontificum electione, pecuniam impartiri solitam omnino eius sanctitatis causa remiserit. sepultus ad S. Petrum. inter Sanctos relatus ab Ecclesia Catholica septima huius mensis die eius natalis recolitur. vacauit Sedes per dies nouem supra menses duos.

Ibidem anno 946. è vita excessit Marinus iunior, seu secundus dictus, patria Romanus, in ordine Pontifex, centesimus trigesimus primus, pacis amator, ac religioni addictus, qui templa vetustate collapsa instaurauit, pauperes eleemosynis pauit, Clerique ac Monachorum reformationi maximè studuit. Sedit annos tres, menses sex, dies 14. sepultus in Basilica S. Petri; per tres tantùm dies Sedes Romana vacauit.

Notæ. 15. Maij.

Benedictus, *genitus teste Sansouino ex nobili Sabellorum familia, præfuit Ecclesiæ ex Baronio menses 8. dies 27. ex alijs dies duos, vel decem supra decimum mensem.*

De Benedicto plura habent Martyrologium Romanum, Baronius in Notis *& in Annal. Beda*, Ado, *Anastasius Biblioth. Panuinius, Platina, Simonetta, Niemius, Petrarca, Io: de Columna, Ptolomæus Lu-*

censis, *Martinus Polonus*.

Marinus. *pacem inter Christianos Principes composuit, & claruit prophetiæ spiritu*, *Vdalrico enim nobili genere nato Episcopatum Augustanum post mortem Adalberonis prædixit*.

Celebrant Marinum, *alijs Martinum*, *Ioannes Stella*, *S. Antoninus*, *Leo Ostiensis*, *Iacobus Gualterius*, *Auctor Romæ subtereaneæ*, *præter aliàs laudatos*.

XVII. KAL. IVNII.

Anno reparatæ salutis 1277. Viterbij repentina cubiculi recens constructi ruina, cum dormiret, oppressus est Ioannes XX. dictus XXI. natione Lusitanus, in ordine Pontifex Maximus centesimus octogesimus nonus. inter ligna & lapides inuentus, septima die acceptis omnibus Ecclesiæ Sacramentis, Pontificatus sui mense octauo, & die 8. vno tantùm euulgato Cardinale, vita excessit, vir admodum literatus, & literatorum Patronus munificentissimus. Sepultus in Cathedrali eiusdem Vrbis, vacauit Sedes pes menses sex, & dies nouem.

Notæ. 16. Maij.

Ioannes. *Iuliani filius*, *patria Vlysipponensis*, *professione Medicus*, *Ioannes Petrus ante Pontificatum nuncupatus*.

Suffridus male hunc Pontificem tractat in suis scriptis hæresibus multis refertis. *nec minùs arguendi ineptia-*

ineptiarum illi, qui inter cætera opprobria quæ in Ioannem iaciunt, Magum fuisse depingunt, quæ calumnia ex eo nasci potuit, quòd cum scientijs omnibus, & maximè Mathematicis artibus instructissimus esset, quædam euulgaret, quæ ignaris & imperitis stuporem inijcerent.

Est huiusce Pontificis mentio apud Bzouium, Odericum in Annal. Eccles. apud Auctorem Annalium Victor anorum, S. Antoninum, Antonium Brandanum in hist. Lusitanica, Nangium, Iordanum, Ciaconium, & reliquos, qui de Romanis Pontificibus scripserunt.

XIV.KAL. IVNII.

In Fumonis arce anno salutis 1296.ætatis 87. beato fine quieuit S. Petrus de Morono, qui ex Anachoreta Summus Pontifex renuntiatus sub nomine Cœlestini V. in ordine centesimus nonagesimus quartus, sedit menses quinque, diesque septem, & euulgauit tredecim Cardinales; postea exemplo raro antehac viso, postea numquam repetito, sponte summo se abdicans Pontificatu, in solitudine reliquum vitæ in oratione perduxit. quare virtutibus, & miraculis clarus relatus est in numerum Sanctorum à Clemente V. anno 1313. tali honore dignissimus, etsi sola abdicatione inclaruisset. Corpus ex arce Fumonis ad Ecclesiam B. Antonij Ferentinatis summo cum honore deductum est. ex qua primò ad Ecclesiam S. Agathæ eiusdem Vrbis, deinde ad sui Ordinis Cœnobium Aquilanum translatum. va-

cauit post eius abdicationem Romana Ecclesia per paucos dies.

Notæ. 19. Maij.

Cœlestini. *qui cum vir sanctissimus esset, viuebat in Eremo sibi, & Deo, quare eius creatio diuina potiùs quàm humana fuit. hanc ob causam multa hominum millia ex tota Italia ad eius coronationem confluxerunt, vt à tanto Pontifice benedicerentur.*

Extant eius res gestæ conscriptæ à Petro de *Aliaca Cardinali Cameracensi, descripsere easdem Surius, Iacobus Stephaneschus, Matthens Vegius, Paulus Regius, Baronius, Bzouius, Odericus in Annal. Eberhardus, Genebrardus,* S.Antoninus *in Chronico, Ægidius Viterbiensis, Martyrologia omnia, Ciaconius, eiusdem que Auctarij, cum alijs multis.*

XII. KAL. IVNII.

Constantinopoli anno post Christum natum 536. ad proemia æterna vocatus est Agapetus huius nominis I. in ordine duodesexagesimus Pontifex Maximus, patria Romanus, dictus Vas Catholicum, Euangelij tuba, præco iustitiæ, qui Constantinopolim contra Anthimum Patriarcham hæreticum, quem damnauit, se contulerat ad fidem Catholicam sustentandam, quare Iustiniano Cæsari minanti dixit, ad Iustinianum Principem Christianissimum venisse puta-

putabam, sed Diocletianum inueni. verecundatus Imperator hac libertate loquendi, Deique nutu permotus, eius monitis acquiescens, ad Catholicæ fidei confessionem cum multis, qui simul desipiebant, reuersus est. Sedit in Petri Cathedra Menses 11. & dies 19. quo tempore breui, vnica ordinatione Episcopos 11. Diaconos 4. consecrauit. Corpus loculo plumbeo translatum Romam, conditum in Vaticano. vacauit Sedes per dies 30.

Eadem die anno 891. *Romæ* migrauit è vita Stephanus VI. dictus VII. patria *Romanus*, in ordine Pontifex duodecimus supra centesimum, qui per annos sex, diesque 9. quibus rexit Petri nauim, ad prandium quotidie Orphanos nonnullos aduocabat, & dum cibo corpus alebat, sacrorum librorum lectione animum recreabat. Photium execratus, Basilium Imperatorem suis literis redarguit, quòd pro Photio, homine penitus laico, cui sacra toties fuerant interdicta, tantopere laborans, eum defendendo aduersùs Romanos Pontifices, ipsam Ecclesiam adeò afficeret contumelijs & iniurijs. post obitum sepultus apud S.Petrum. vacauit Sedes per dies quinque.

Notæ. 21. Maij.

Agapetus. *alijs Rusticus* Agapetus, *Gordiani Presbyteri Cardinalis SS. Io: & Pauli ex legitimo matrimonio filius, sedit ex Ioanne de Columna, an-*

nos 11. *ex* Panuinio *annum vnum, & menses decem. diesque* 20. *qui etiam eidem diem & annum obitus ab indicato diuersos assignant.*

De Agapeto *sanctitate illustri scripsere Baronius in* Annalibus, *Anastasius Bibliothecarius,* Martinus Polonus, *Ptolomæus* Lucensis, *Petrarca, Niemus, S. Antoninus, Platina, Simonetta,* Ciaconius, *eiusdemque Auctarij, & alij multi.*

Stephanus. *Basilius antea vocatus, Hadriani filius de regione via lata, cuius acta ob Scriptorum inopiam desiderantur.*

Vide Guillelmum Bibliothecarium, cum reliquis in Agapeto superiùs laudatis, qui omnes paucis verbis Stephani Pontificatum *explicant.*

XI. KAL. IVNII.

Anno seculi decimi septimi, sexagesimo septimo à partu Virginis, *R*omæ decessit Alexander, huius nuncupationis VII. in ordine ducentesimus quadragesimus primus Pontifex Maximus, patria Senensis, ex nobili Chisiorum familia, qui spatio annorum XII. Mensis vnius, dierumque 15. quibus Petri nauim prudentissimè rexit, Vrbem à pestilentia vindicauit, templa quamplurima ornauit, Gymnasij publici ædificationem absoluit, Bibliothecam instituit; Quirinale Palatium ampliauit, Vrbis nitorem procurauit, Sanctorum numerum auxit, Christinam Sueciæ *R*eginam ad Catholicam fidem venientem, benignissimè excepit, Venetis contra

tra Turcas, Casimiro Poloniæ Regi contra hæreticos, Cæsari contra nominis Christiani hostes larga manu subuenit, Clerum Gallicanum suis literis ad Ecclesiæ iura, dignitatemque sustinendam confirmauit, & inter Cardinales octo supra triginta selectissimos viros cooptauit. post obitum sepultus in Vaticano, vacauit Sedes per dies duodetriginta.

Notæ. 22. Maij.

Alexander. *Flauij filius, Fabius ante Pontificatum nuncupatus.*

De quo tractant Auctarij Ciaconij, *Antonius Bagatta in Vita, Carolus Thomasius in Schemate festiuo, & in Epist. Ferdinandus Vghellius in Italia sacra, Gaspar Aluerus in sua Roma, Antoninus Diana in resolut. moral. part.* 12. *Demetrius Phalereus Tract. de anima, Franciscus Vekenus in Disp. de Deo trino & vno, Io. Baptista Cancellottus in Annal. Marianis, Sfortia Card. Pallauicinus in hist. Concilij Tridentini, Alexander Pollinus, Ioseph Maria Suaresius Episcopus Vasionensis, Iacobus Albanus Gibbesius in Carm. & alij plures.*

X. KAL. IVNII.

Penischolæ in oppido Regni Valentiæ munitissimo, Diœcesis Dertucensis octogenario maior, anno salutis 1423. veneno extinctus est Benedictus XII. dictus XIII. Pseudopontifex, natione

tione Hispanus, qui per annos triginta Sedem occupauerat, semper vsque ad extremum vitæ spiritum in obstinatione permanens, euulgatis septem supra viginti Pseudocardinalibus. ibique cadauer sepultum, inde Igleucam Aragoniæ oppidum translatum.

Notæ. 23. Maij.

Benedictus. *Petrus de Luna antea dictus, nobilis Aragonensis, Ioannis* Martinez *de Luna filius, obijt ex alijs anno* 1424.

De illo Ciaconius, Panuinius, Io:Mariana in hist. Hispanica, Acta Conciliorum Pisani, ac Constan*tiensis,* S.*Antoninus, & alij plures.*

IX. KAL. IVNII.

Anno Christi 907. Leo V. è villa Priapi agri Ardeatini, in ordine Pontifex, centesimus vigesimus post mensem vnum & dies decem suæ administrationis, Christophori Presbyteri S. Laurentij in Damaso familiaris suasu, abdicato Pontificatu vitam monasticam, quam antea professus fuerat, reassumpsit.

Notæ. 20. Maij.

Leo V. *ex* Monacho S. *Benedicti euulgatus* Cardinalis, *teste* S. *Antonino patria Aretinus.*

De

De hoc tractant Baronius in Annal. Panuinius, Ciaconius, cum Auctarijs, & alij.

VIII. KAL. IVNII.

Romæ via Numentana natalis B. Vrbani Papæ in ordine duodeuigesimi, patria Romani, cuius exhortatione, & doctrina multi, inter quos Tiburtius, & Valerianus, Christi fidem susceperunt, & pro ea martyrium subierunt. ipse quoque in persecutione Alexandri Seueri anno Christi 233. cum præfuisset Ecclesiæ annos sex, menses septem dies 4. pro Christo multa passus, tandem ceruicibus abscissis martyrio coronatus est, celebratis ordinationibus quinque, Episcoporum octo, Presbyterorum nouem, & Diaconorum quinque. sepultus via Appia in Cœmeterio, Callisti dicto, ex quo à Paschali I. eius ossa deducta ad Titulum S. Cæciliæ. Vacauit Sedes Pontificia per dies 30.

Eadem die ibidem anno salutis 614. decessit Bonifacius huius nominis IV. in ordine duodeseptuagesimus Pontifex Maximus, natione Marsus, qui annorum sex, mensium octo, dierum 12. spatio quo præfuit Ecclesiæ, duplici ordinatione, Episcopos 36. Presbyteros aliquot, & Diaconos 9. consecrauit, Pantheon in honorem B. Mariæ dedicauit, paternam domum in Monasterium redegit, & fundos suos Monasterio adscripsit in Monachorum vsum. Sepultus ad S. Petrum, vacauit eius morte Sedes per menses 5. & dies 12.

Anno

Anno verò post Christum natum 1085. Salerni in Campania depositio B. Gregorij huius nominis VII. in ordine Pontificum centesimi quinquagesimi noni, Etrusci, Ecclesiasticæ libertatis propugnatoris, ac defensoris acerrimi, qui Salerni, quò ad Henrici IV. Imperatoris furorem declinandum, se receperat, morti proximus Cardinales & Episcopos præsentes, quorum duos supra viginti ipse euulgauerat, hortatus est, vt in sui locum Pontificem crearent Desiderium Abbatem Cassinensem, quem si non potuissent flectere, Othonem Ostiensem, siue Anselmum Episcopum Lucensem, viros sanctissimos substituerent. Sedit in Petri Cathedra per mensem vnum supra annos duodecim. sepultus in Basilica S. Matthæi, quam diuino cultui ante obitum consecrauerat. Vacauit Romana Sedes per menses quatuor, & dies 27. supra annum vnum.

Eadem die anno à partu Virginis 1261. Viterbij Faliscorum, quò se ex Anagnia receperat, pacem inter Venetos, & Genuenses compositurus, è vita migrauit Alexander IV. Pontifex Maximus in ordine centesimus octogesimus tertius, Sessæ Vrbe Campaniæ felicis, Philippo ab Anagni patre natus, Pauperum Pater, Hæreticorum Osor qui Italiæ Tyrannos persequutus est, Præfuitque Ecclesiæ per menses quinque, totidemque dies supra annum quintum, vnumque solum euulgauit Cardinalem, ac Sanctis Claram Virginem Asissinatem adscripsit; cuius corpus in Cathedrali Viterbiensi Sancto Laurentio sacra, hono-

honorificè ſepultum. vacauit Sedes menſes tres circiter.

Notæ. 25.Maij.

B. Vrbani. *Pontiani filius, ſenex renuntiatus Pontifex, multa paſſus eſt pro Chriſti nomine, cuius corporis pars data à Nic. lao I. legatis Caroli Calui, in Gallijs miraculis coruſcat.*

Celebrant Vrbanum Martyrologia Romanum, & Gallicanum, Baronius in notis, & in Annalibus, Beda, Vſuardus, Ado, Euſebius in Chronico, & in hiſt. Optatus, Auguſtinus epiſt.165. Nicephorus in Chronico. Acta S.Cæciliæ apud Metaphraſtem, Ciaconius cum Auctarijs, alijque omnes, qui Romanorum Pontificum vitas euulgarunt.

Bonifatius. *Ioannis Medicei filius, & Monachus S.Sebaſtiani extra Vrbem, cuius ſanctitatem venerantur Martyrologia, Romanum, Maurolyci, & aliorum; Petrus de Natalibus, Anaſtaſius, S. Antoninus, Nauclerus, Ciaconius cum Auctarijs, Platina, Panuinius, Petrarca, St.lla, Martinus Polonus, & alij omnes, qui Pontificiam, ſeu Eccleſiaſticam hiſtoriam ſcriptis pertractarunt.*

B.Gregorij. *Hilprandus antea dictus, patria Soanenſis, Bonicij filius, inuitus ex Archidiacono, conſentientibus omnibus electus Romanus Pontifex, obijt ex alijs pridie huius diei, 24. videlicet menſis Maij die.*

Sanctiſſimi huiuſce Pontificis gloriam conati ſunt Hæretici obſcurare; ſed longè clarior & illuſtrior eſt reddita ipſorum etiam ſcriptis, & Catholicorum,

nempe

nempe Lamberti, Mariani Scoti, Desiderij Abbatis Cassinensis, Petri Diaconi, Domnizonis in Vita Mathildis, Leonis Ostiensis, Baronij, Ciaconij, & aliorum.

Alexander IV. *Raynaldus ante Pontificatum nuncupatus, non Gerardi, sed Philippi filius, ex Comitibus Signiæ oriundus.*

De Alexandro tractant Matthæus Parisius in hist. Anglicana, Abrahamus Bzouius, Baronius, Odericus in Annal. Eccl. Matthæus Vvestmonasteriensis, Nangius, Ptolomæus Lucensis, Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui aliàs laudati.

VII. KAL. IVNII.

Romæ anno Domini 195. martyrio affectus est Abundius Eleutherius, natione Græcus, Pontifex, in ordine decimus quartus, qui nobiles quamplures *R*omanos ad Christi fidem perduxit, & Sanctos Damianum & Fugatium in Britaniam misit, qui Lucium *R*egem vna cum vxore, alijsque multis, sacro fonte abluit. Sedit in Petri Cathedra per annos 15. & 23. dies, tribusque Ordinationibus Episcopos xv. Presbyteros xii. & Diaconos viii. consecrauit. Sepultus in Vaticano apud B. Petri corpus; vacauit Sedes per dies quinque.

Notæ. 26. Maij.

Abundius Eleutherius. *Abundij filius patria Nico-*

Nicopolitanus. est autem Nicopolis Vrbs Epiri, ad Promontorium Actium in Ambriaco sinu sita, nunc vulgò Preuesa. Sedit ex alijs annos 13. totidemque dies.

Britannia etiamsi redacta in Prouinciam, suos habebat Reges, multis id enim Prouincijs concesserant Romani.

Meminere Eleutherij Martyrologium Romanum sub hac die, Baronius in Notis, & in Annal. Beda pridie huius diei, Irenaus, Optatus Mileuitanus, Augustinus epist.165. Eusebius in Chronico, & in hist. Ado in Chronico, Marianus Scotus in sex ætatibus anno 177. S. Hieronymus, Io: Lepaige, Nigraualle in Biblioth. Præmonst. Ciaconius cum suis Auctarijs, Platina, Panuinius, & alij.

VI. KAL. IVNII.

Natalis S. Ioannis Papæ, in ordine quarti supra quinquagesimum, natione Tusci, qui à Theodorico Italiæ Rege Ariano Rauennam euocatus, ibique propter Orthodoxam fidem in vinculis, diù detentus, anno Christi 527. miraculis clarus habitis de more pluribus sacris Ordinationibus, excessit è vita, cum præfuisset Ecclesiæ annos duos, menses nouem, dies sexdecim. Corpus Rauenna Roma delatum, sepultum in Vaticano, vacat Sedes mensem vnum, & dies duodetriginta.

Notæ.

Notæ. 27. Maij.

Ioannis Papæ. *Constantij hic filius, sedit ex alijs menses octo, & dies 22. vel solùm menses octo supra biennium. à veritate omnino aberrant illi, qui huius Sedi annos vndecim, menses nouem, & dies sexdecim tribuunt.*

Beda, & Ado non hac, sed sequenti die huius Sancti memoriam celebrant, sunt qui volunt eum obijsse anno 526.

De quo vide Martyrologium Romanum, Baronium in Notis, & in Annal. Vsuardum, Anastasium Bibliothecarium, Platinam, Panuinium, Genebrardum in Chronico, Ioannettum, Stellam, Io:de Columna, Simonettam, Niemum, Martinum Polonum, Ptolomæum Lucensem, Ciaconium, & Auctarios, aliosque omnes, qui historiam Pontificiam descripserunt.

V. KAL. IVNII.

Anno salutis 854. Zinzinus patria Romanus ex Presbytero Cardinali à Plebe in seditione electus Pontifex, post aliquot dies coactus abdicauit ad fauorem Eugenij II.

Notæ. 28. Maij.

Zinzinus. *huius genus ignotum, fuit hoc duodecimum in Romana Ecclesia Schisma.*

De hoc agunt Baronius in Annalibus Panuinius, Ciaconius, & alij in Eugenio II.

IV.KAL.

IV. KAL. IVNII.

Romæ anno decimo tertio supra millesimum à Christo nato. decessit ex contagij morbo, Sergius huius nominis quartus, in ordine centesimus quadragesimus septimus Pontifex Maximus, nobilis Romanus, qui Rempublicam Christianam rexit per anns duos, menses nouem, & dies 12. Saracenos Christiani nominis infensissimos hostes è Sicilia expulit, & Hungariæ accessione Ecclesiam Romanam ampliorem reddidit; Sepultus in Laterano, vacauit post eius obitum Sedes per dies octo.

Notæ. 29. Maij.

Sergij. *Petri Martini filius, Buccaporci cognominatus, obijt ex alijs anno duodecimo laudati seculi.*

Celebrant Sergium Ditmarus, Baronius in An*nal. Platina, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Ludouicus Iacobus à* S.*Carolo in Bibl.*Pont. S.*Antoninus, Iacobus Gaulterius in Tabul.Chronol.Io:Stella, Guillelmus Biblioth. Petrarca, Io:de Columna; Simonetta, Niemus, Ptolomæus Lucensis in* Vita, *Martinus Polonus, & alij plures.*

III. KAL. IVNII.

Romæ via Aurelia natalis S.Felicis Papæ, in ordi-

ordine ſeptimi & vigeſimi, patria Romani, qui cum adminiſtraſſet per annos duos, menſes quinque, vno minùs die rem publicam Chriſtianam, habuiſſetque de more Ordinationes duas, & creaſſet Epiſcopos v. Presbyteros ix. Diaconos v. decreuit ad honorem SS. Martyrum, vt quotannis eorum nomine dies feſtus celebraretur, neue diuinum ſacrificium Miſſæ alibi, à Sacerdotibus ageretur, præter quam, in locis ritè conſecratis, niſi neceſſitas aliud ſuaderet; demum anno poſt Chriſtum natum 275. ſub Aureliano Principe martyrio coronatus eſt. Corpus milliario ab Vrbe ſecundo ſepultum in Baſilica, quam ipſe in honorem Dei condiderat. Vacauit poſt eius obitum Sedes Pontificia per dies quinque.

Notæ. 30. Maij.

S. Felicis. *Conſtantij filius, Felix quoque ante Pontificatum nuncupatus, paſſus eſt martyrium ex alijs ſub Claudio, & ſedit annos 4. totidemque menſes. ſeu annos 5. vel duos, & menſes x. cuius Corpus ad Titulum Tigridis deductum volunt plures.*

Huius Sancti acta indicant Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annal. Beda, Vſuardus, Ado, Petrus de Natalibus, Platina, Panuinius, *Anaſtaſius Bibliothecarius, Marianus Scotus, Euſebius in Chronico, & in hiſt. Optatus, Auguſtinus epiſt. 165. Ludouicus Iacobus à S. Carolo in Biblioth. Pontif. Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.*

IVNIVS.

IV. NONAS IVNII.

ROmæ memoria S.Eugenij Pontificis, in ordine sexti supra septuagesimum, patria Romani, de regione prima Auentina, viri summa religione, ac pietate in Deum, liberalitate in suos, qui in absentia S. Martini decessoris, duorum annorum spatio vicaria præfectura Ecclesiæ præfuerat vniuersæ, accedente post Martini obitum, Cleri consensu, sedit in Petri Cathedra Vicarius Christi menses sex, diesque 23. sepultus ad Sanctum Petrum anno à Christi natiuitate 657. vacauit sedes per mensem vnum, & dies 28.

Notæ. 2.Junij.

S.Eugenij. *Ruffiniani filius sedit ex illis, qui ab exilio Martini principium Pontificatus Eugenij firmant, annos duos & menses 4. vel octo, seu nouem, aut demum annum vnum, menses 4. & dies aliquot. at nonnisi à Martini morte Pontifex legitimè sedit in Petri Cathedra.*

Est Eugenij memoria in Martyrologio Romano, apud Baronium in Notis, & in Annal. Anastasium Biblioth. Martinum Polonum, Io: *de Columna, Ptolomaeum Lucensem, Petrarcam, Niemum, Platinam, Panuinium, Ioannettum, Stellam, Simonettam, Ciaconium, eiusdemque Auctarios, & alios plures.*

III. NONAS IVNII.

Anno 997. oculis orbatus Romæ extinctus est Ioannes Pseudopontifex, natione Calaber, patria Rossanensis, qui Crescentij Numentani Romanorum tyranni opera Sedem Petri occupauerat per menses decem contra Gregorium V. Pontificem, à qua ab Othone Cæsare eiectus, & Crescentius occisus.

Notæ. 3. Iunij.

Ioannes. *Ioannes Adeobaldus, alijs Arnulphus nuncupatus ex Monacho Cassino Episcopus Placentinus, tum Archiepiscopus Mediolanensis obijt ex alijs in Germania.*

De illo Baronius, Panuinius, Ciaconius & alij apud eosdem.

PRIDIE NONAS IVNII.

*R*omæ anno post Christum natum 912. supremum diem obijt Anastasius huius nuncupationis tertius, in ordine Pontifex centesimus vigesimus tertius, patria Romanus, quem probum, & sanè prudentem virum fuisse illius temporis Annales tradunt, etenim modestiam vitæ, & integritatem maximè amauit, ita vt in memoria viuorum posita sit recordatio eius. rexit Petri nauim, per mensem vnum, dies 22. supra biennium.

sepul-

ſepultus ad Sanctum Petrum, vacauit Sedes per dies duos.

Notæ. 4. Iunij.

Anaſtaſius. *Luciani filius, ſedit ex alijs annos duos, ac totidem menſes, quem obijſſe volunt anno 913.*

De hoc agit Baronius in Annal. S. *Antoninus, Iacobus Gaulterius in Tabula Chronol. Romæ ſubterranea Auctor,* Ciaconius *cum* Auctarijs, *ac reliqui omnes aliàs laudati, qui Pontificum* Romanorum *acta euulgaount.*

IV. IDVS IVNII.

Anno Chriſti 985. de medio ſublatus Benedictus VII. qui poſt obitum Ioannis XIV. Pontificis per menſes quatuor Petri Cathedram occupauerat.

Notæ. 10. Iunij.

Benedictus. *menſe Decembri anni* 985. *è Sede exturbatus ex alijs.*

Vide Ciaconium, Baronium, & reliquos.

PRIDIE IDVS IVNII.

Romæ anno reparatæ ſalutis 816. plenus dierum in ſenectute bona, primo ac vigeſimo ſui Pontificatus anno ad ſuperos euolauit Leo III. in ordine octauus ſupra nonageſimum, patria

Romanus, quem Maiores vti sanctitate illustrem pijs animis coluerunt; multa enim passus à Paschali Primicerio & alijs, fugit ad Carolum Magnum, quem Imperatorem Occidentis nominauerat, in cuius conspectum cum venisset, non alia protulit verba nisi, *Gloria in Excelsis Deo, & in Terra pax hominibus bonæ voluntatis*, ac si diceret, adsum licet multis affectus iniurijs, non tamen bellorum, sed pacis nuncius; huius Imperatoris opera Romam rediijt cum honore. Suitbertum Episcopum Vverdensem, Saxonum, Frisiæque Apostolum in Sanctorum Catalogum solemni pompa retulit; Ædem Sanctissimæ Virginis Aquisgrani consecrauit; Basilicas Vrbis donis multis auxit; Ordinationes tres, Episcoporum 126. Presbyterorum 30. Diaconorum 10. celebrauit. sepultus post obitum ad S.Petrum, vacauit Sedes per dies 10.

Notæ. 12. Iunij.

Leo III. ***Azzupij filius, Monachus S.Benedicti, sedit Menses 5.dies 18., seu Menses 3.& dies 10.supra annos 20. obijtque ex alijs die 17. huius mensis.***

Paschalis Primicerius, & Campulus Sacellarius, Viri in Vrbe primarij odio in Leonem exarserant, quòd eorum vita sordes insectaretur, quare cum Pontifex ab Æde S. Laurentij in Lucina ad illam S. Georgij Magni cuius natalitia agebantur, supplex cum Clero pergeret, apud S. Siluestrum

in

in Campo Martio impetu facto, Leonem corripuerunt, & in terram deiectum sacris vestibus exuerunt, pugnis, calcibus verberarunt. tractum deinde vi ad proximam ædem ante altare vulneribus affecerunt, & mox sanguine madentem ac semianimem in Monasterium S. Erasmi arctæ custodiæ tradiderunt, à qua liberatus piorum hominum opera.

Celebrant Leonem Annales Francorum, Theophanes in Chronographia, Constantinus Manasses, Frodoardus in Chronico, Eginhardus, Baronius in Annal. Monachus Engolismensis, nec non Sangallensis, & Poeta Saxonicus in vita Caroli Magni, Zonaras, Theophanes, Albinus Flaccus, Alemannus de Parietinis Lateranen. Anastasius Bibliothecarius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures apud eosdem.

XII. KAL. IVLII.

In Insula Pontia, seu Palmaria proxima, contra Circæum Montem anno reparatæ salutis 540. Sedis suæ quarto inchoato, martyrij gloria sublimis in Cœlum assumptus est Cœlius Siluerius Pontifex in ordine vndesexagesimus, Hormisdæ de Frusinone Papæ ex legitimo thoro natus, qui cum Anthimium Episcopum hæreticum ab Agapito prædecessore suo depositum restituere noluisset, agente impia Theodora Augustâ à Belisario in exilium pulsus, falsò subiectis testibus, qui dicerent, Siluerium Gothis Vrbem tradere voluisse, ibidem pro fide

Catholica multis ærumnis confectus, defuit, cuius perenni memoriæ perseuerat in Ecclesia Romana natalis dies singulis annis rediuiuus. Vacauit Sedes per dies quinque.

Notæ. 20. Iunij.

Siluerius. *vix elapso anno in exilio decessisse scribunt aliqui. vel tertium non compleuisse. Alij tamen volunt coactum sese Pontificatu abdicasse, atque Monachorum Cœnobium ingressum, in eo omnium opinione sanctissimum è vita migrasse.*

Exulauit Pataræ *in Licia, sed loci illius Episcopo apud* Iustinianum *agente, Romam reuerti iussus, detinetur ab Aduersarijs in Palmaria Insula, vbi inedia extinctus est.*

De Siluerio agunt Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annalibus, Beda, Vsuardus, Ado, Gualterius in Tabula Chronograph. S. Antoninus, *Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui omnes, qui vitas Romanorum* Pontificum *descripserunt.*

X.KAL. IVLII.

Anno Dominicæ natiuitatis 1276. Romæ in Patriarchio Lateranensi, post coronationem Rodulphi Imperatoris mortuus est Innocentius V. natione Burgundus, in ordine Pontifex centesimus octogesimus septimus, Ordinis Prædicatorum, vir eximia probitate, & sacrarum literarum peritissimus, de quo Fideles spes magnas in

Eccle-

Ecclesiæ commodum conceperant. breui tamen tempore, quo vixit in Pontificatu, nam per menses tantùm quinque, & dies duos sedit in Petri Cathedra, collapsas in Palæstina Christianorum res restaurare vti decreuerat, non potuit. Sepultus in Basilica eidem Patriarchio proxima; vacauit Sedes per dies vndeuiginti.

Notæ. 22. Iunij.

Innocentius. *Petrus Tarentasiensis antea dictus, primus ex Prædicatorum Ordine ad Summum Pontificatum promotus, quem aliqui Longobardum faciunt, sedit ex alijs menses sex, & dies 2. aberrant tamen à veritate illi, qui scribunt Innocentium Viterbij decessisse, ibidemque iacere.*

Vacauit post illius obitum Sedes ex Genebrardo, & Panuinio per dies tantùm nouem.

Summis laudibus Innocentium extollunt Bernardus Guido in Chronico, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Ludouicus Iacobus à S. Carolo in Biblioth. Pontificia, Marraccius in Mariana, Odericus in Annal. Villanus in hist. Ciaconius cum Auctarijs, & reliquis omnibus, qui de Romanis Pontificibus ex professo scripserunt.

VI. KAL. IVLIAS.

Romæ anno à partu Virginis 535. obitus Ioannis II. in ordine quinquagesimi septimi

Pon-

Pontificis Maximi, patria Romani, de Regione Cœlij Montis, qui annorum trium, nonnullorumque Mensium spatio, quo Rempublicam Christianam rexit, Anthemio Episcopo Arriano damnato, vnam tantum habuit ordinationem Episcoporum 21. Presbyterorum 15. & Diaconorum 10. Sepultus ad Vaticanum, vacauit Sedes per dies sex.

Ibidem anno 676. excessit Adeodatus, seu Deodatus Pontifex, in ordine octauus supra septuagesimum, patria Romanus, è Monasterio ad Pontificatum vocatus, qui summa charitate & beneficentia in Pauperes, in reos mitis, catholicæ veritatis studiosissimus Monachos omnes, Nestorij sectatores ab Vrbe expulit, ne alios falsa doctrina inficerent. Præfuit Ecclesiæ annos septem, menses duos, dies decem & septem, vnica tantum habita ordinatione Episcoporum 46. Presbyterorum 14. Diaconorum xi. sepultus ad S.Petrum, vacauit Sedes per dies sex supra mensem quartum.

Notæ. 26.Iunij.

Ioannis II. *ante Pontificatum Ioannes cognomento Mercurius, Proiecti filius, sedit ex alijs Menses 4. dies 6. supra biennium, & obijt* xi. *Kal. Iunij anno* 534.

Celebrant Ioannem Concilium Carthaginense, Baronius in Annal. Eccles. Cassiodorus in literis, Anastasius Biblioth. Martinus Polonus, Io: Stella,

la, Io: *Columna*, *Ptolomæus Lucensis*, *Petrarca*, *Niemus*, *Panuinius*, *Platina*, *Simonetta*, *Ioannettus*, *Ciaconius*, *eiusdemque Auctarij*, *cum alijs multis*.

Adeodatus. *ex Monacho S. Erasmi in Cœlio Monte assumptus ad Pontificatum sedit, ex alijs menses 5. dies 16. supra annos quatuor.*

Tractant de Adeodato præter laudatos superiùs, *S. Antoninus*, *Ludouicus Iacobus à S. Carolo*, *Papyrius Massonus*, *Seuerinus Binius in Notis ad Concilia*, Ioannes *Mariana in hist. Hispan. Ciaconius*, *& alij*.

IV. KAL. IVLII.

Romæ celebratur memoria S. Leonis Papæ II. in ordine octogesimi primi, ex Cedella Vallis Sicilianæ in Prouincia Vlterioris Aprutij, moribus à superioribus suis nequaquam dissimilis, græcè latinèque doctissimi, musicè instructi, qui vsum pacis Populo dandæ in celebratione instituit, sextam Synodum confirmauit, Præsulum Rauennatum audaciam fregit, vetuit Archiepiscopos pro vsu pallij, aliorumque officiorum quidquam pecuniæ persoluere, cuius Pontificatus licet breuis, non enim vixit in illo nisi per menses nouem, & dies vndeuiginti, tantam illi peperit gloriam, vt diu vixisse videatur. Corpus in Basilicæ Principis Apostolorum sepultum est anno 683. collacrymantibus omnibus, tanquam publico parente orbatis. Vacauit Sedes

eius

eius morte Menſes xi. dies 21.

Ibidem anno ſalutis 767. ſanctitate illuſtris ad ſuperos euolauit Paulus Apoſtolici nominis, & zeli pariter Apoſtolici hæres, in ordine Pontifex nonageſimus quintus, patria Romanus, qui beneficia in eos libentiùs contulit, à quibus iniurijs laceſſitus antea fuerat; noctu ad Pauperes ægrotantes accedere ſolitus, eos eleemoſynis adiuuabat, eamdemque operam nauabat ijs, qui aere alieno oppreſſi in cuſtodia detinebantur. Conſtantinum per legatos admonuit, vt ſacras imagines reſtitueret, Republicaque Chriſtiana per menſem vnum ſupra decennium adminiſtrata, habitâque Romæ Synodo, ordinatione vnica Epiſcopos tres, Presbyteros duodecim, & Diaconos vndecim conſecrauit. Sepultus in Baſilica S. Pauli via Oſtienſi, apud quam obierat, verùm poſt tres menſes in Vaticanum translatus, honorificè conditus in Orario, quod ipſe ad aram maximam extruxerat. Vacauit Sedes menſem vnum, dieſque ſeptem ſupra annum vnum.

Notæ. 28. Iunij.

S. Leonis. *Pauli Menei Medici filius, quem aliqui Aydonenſem, alij Herbitenſem, vel Rheginum patria faciunt.*

De hoc tractant Martyrologia Romanum, Bedæ, Vſuardi, Adonis, *nec non Baronius in Annal. & in Notis.* Binius *tomo 3.* Concil. *Anaſtaſius Biblio-*

bliothecarius, Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui omnes, qui vitas Pontificum Romanorum, vel Sanctorum euulgarunt.

Paulus. *Constantini filius, Stephani iunioris Papæ germanus frater, perfecit Ecclesiam, & Monasterium a fratre incœptum in paternis ædibus, sub Titulo S. Stephani Papæ & Martyris, nec non Syluestri item Papæ.*

Celebrant Paulum Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annal. Franciscus Maurolycus, Petrus Galesinus, Petrus de Natalibus, Canisius, Anastasius, Platina, Ciaconius, Auctarij eiusdem, & alij plures.

III. KAL. IVLII.

Romæ natalis S. Petri Galilæi, qui sub Nerone Imperatore capite ad terram verso Cruci affixus in Ianiculo, anno post Christum natum octauo supra sexagesimum, cum pro Christo in terris rem Christianam administrasset per annos XXXVI. mensesque duos, quæ ad ignem peccauerat nocte, singulis diebus oculorum imbre, catenis, ac demum sanguine deleuit. in vincula datus ab Herode, exemptus est ab Angelo; morbos passim omnes vel vmbra fugauit; præstigiatorem Simonem in Cœlos volantem, humi præcipitem suis precibus dedit, quare Neronis iram effugiens, Christum via Appia obuium habuit, cuius oratione confirmatus, statim ad Vrbem reuersus, constantissimè ad martyrium properauit.

uit. Post obitum sepultus in Vaticano iuxta viam triumphalem totius Orbi Christiani veneratione colitur.

Notæ. 29. Iunij.

S. Petri. *ex Bethsaida, quæ Vrbs distabat ab Hierusalem 75. millia passuum, sedit primùm Antiochiæ, tum Romæ, hic per annos 24. Menses 3. & dies 12. alibi per menses 10. & dies duodeuiginti supra annum vndecimum.*

De Petro Apostolo tractant omnes historici sacri, tum Græci, tum Latini, Sancti Patres vtriusque nationis, Hegesippus iunior de excidio Hierosolymæ, Linus Papa in actis passionis eiusdem, Baronius in Annal. Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui, quos ipsi proferunt.



IVLIVS.

IVLIVS.

KALENDIS IVLII,

ANno à partu Virginis 767. Philippus patria Romanus, professione Monachus, dignitate Abbas S. Viti, nec non S. R. E. Presbyter Cardinalis in schismate contra Constantinum renuntiatus Papa, post quintum diem, seu ex Panuinio post annum, à Christophoro Primicerio coactus Pontificatu se abdicauit, atque ad antiquum suum Monasterium reuersus est.

Notæ. 1. Iulij.

Philippus. *Valdeperti Presbyteri Longobardi opera à paucis electus.*

De illo Baronius, Panuinius, Ciaconius, & alij apud eosdem.

V. NONAS IVLII.

Florentiæ, ex alijs Romæ anno post Christum natum 1061. optimè de Ecclesia Romana meritus piè quieuit Nicolaus II. in ordine centesimus quinquagesimus septimus Pontifex Maximus natione Allobrox, qui annorum duorum & mensium sex spatio, quò præfuit Ecclesiæ, nullum prætermisit diem, quin pedes duodecim Pauperum ablueret; Concilia Melphiense, Sutrinum, & Romanum celebrauit; pro Ducatu

Apu-

Apuliæ, & Calabriæ, fidelitatis iusiurandum à Roberto Guiscardo recepit, septem viros doctrina præstantes Cardinalium Senatui adiunxit, Episcopos Simoniacos deposuit, Canonicos Regulares ad antiquam obseruantiam redegit; Berengarium malè de sacra Eucharistia sentientem, doctrina sua conuictum, ac fusum, ab errore reuocauit; ac Henricum IIII. corona Imperij donauit. sepultus in Cathedrali Florentina seu ex alijs in Vaticano iuxta portam iudicij., vacauit Sedes propter Schisma Menses duos, diesque 26.

Notæ. 3. Iulij.

Nicolaus. *Gerardus* Allobrox, *cognomento Burgundio, Episcopus Florentinus ante Pontificatum, quem Episcopatum etiam Pontifex administrauit. Contra Nicolaum hunc in schismate sedit Benedictus IX. dictus X.*

De Nicolao tractant Ferdinandus Vghellius in Italia sacra, Petrus Frizonius in Gallia Purpurata, Leo Ostiensis in Chronico, Paulus de Angelis in descriptione Basilicæ Vaticanæ, Panuinius, Ioannes *Stella, Pandulphus Pisanus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij omnes, qui de Romanis Pontificibus scripserunt.*

IV. NONAS IVLII.

Apud Namburgum ab Othone Imperatore relegatus hac die anno salutis 965. in pace quie-

quieuit Benedictus V. dictus VI. in ordine Pontifex trigesimus quartus supra centesimum, vir sanctitate illustris, literis ornatus, & Apostolica Sede dignus, cuius memoria in Saxonia Catholica celebrabatur singulis annis. Ossa, Othonis III. Imperatoris auctoritate ad Vrbem translata, condita sunt in Vaticano. vacauit Sedes per dies 22. supra menses octo.

Hac eadem die anno salutis 1415. Gregorius XII. in ordine septimus supra ducentesimum Pontifex Maximus, patria Venetus, per Carolum Malatestam Arimini Domicellum Procuratorem electum pro bono pacis, schismateque euertendo, in Concilio Constantiensi eam ob causam congregato, Pontificatu se abdicauit, cum sedisset in Petri Cathedra annos octo, menses septem, dies quinque, & euulgasset Cardinales quatuordecim. Obijt Recineti post biennium, anno scilicet 1417. Episcopus Cardinalis Tusculanus, Collegijque Decanus, ac Piceni perpetuus legatus, cuius corpus iacet in Cathedrali Recinetensi.

Notæ. 4. Iulij.

Benedictus. *habuit aduersarium in Cathedra Leonem* VIII.

Laudant Benedictum Luitprandus, Ditmarus, Genebrardus, *Ciaconius*, *Panuinius*. *Baronius*, *Philippus Ferrarius in* Catalogo *Sanctorum*, *qui non sunt in Martyrolozio* Romano, *Adamus Bremen*-

I *sis*,

sis, & alij plures.

Gregorius XII. *Angelus Corarius ante & post Pontificatum vocatus, ea lege Cathedram ascendit, vt primo quoque tempore se Pontificatu abdicaret, si Benedictus XIII. Pseudopontifex, quemadmodum se facturum iurauerat, idem præstitisset.*

De Gregorio cum laude tractant S. Antoninus, Historia Concilij Constantiensis, Hieronymus Garimbertus, Blondus, Nauclerus, Antonius de Petro in Diarijs, Henricus Spondanus in Annal. Platina, Panuinius, Ciaconius, eiusque Auctarij, ac reliqui omnes, qui de Romanis Pontificibus scripserunt.

NONAS IVLII.

Perusij in Vmbria anno à partu Virginis 1304. mense octauo ac die sexto suæ Sedis, tribus euulgatis Cardinalibus, malis artibus, vt ferunt, extinctus est Benedictus X. dictus XI. in ordine Pontifex centesimus nonagesimus sextus, in Vico S. Bartholomæi Taruisij Venetiarum natus, cuius vitæ sanctitatis, doctrinæ & prudentiæ fama cum ad Bonifacij VIII. aures peruenisset, illum in Gallia peregrinantem Ordinis Prædicatorum, quem à puero professus fuerat, censuræ intentum, Presbyterum Cardinalem S. Sabinæ dixerat. Hic statim Sciarram, aliosque in Ecclesiam coniuratos grauissimo anathemate damnauit; Philippum Galliæ Regem, ac Cardinales Columnenses à decessore sacris interdictos, absoluit; tandem ad Italiam pacandam se conuer-

tit eo consilio, vt ea pacata Christianis in Asia dimicantibus adiumento esse posset. Ibidem sepultus apud S.Herculanum Prædicatorum, cuius sanctitatis argumento sunt miracula, quæ ægrotis curatis, Dæmonibus expulsis, ad eius sepulchrum visa sunt. Vacauit Sedes per menses decem, & dies duodetriginta.

Notæ. 7. Iulij.

Benedictus. *Nicolaus Bocasinus ante* Pontifica*tum dictus, sui Ordinis Magister Generalis, ex Episcopo Ostiensi renuntiatus* Pontifex *veneno perijt, ac sedit ex alijs Menses 9. vel 10. & dies 28. aut 17. vel 16.* V*acauit Sedes ex Genebrardo, & Platina annum vnum, & mensem vnum, ex Sandero verò dies sexdecim supra mensem octauum.*

Laudant Benedictum præter recensitos Auctores Ægidius Viterbiensis in hist.20. secul. Panninius in Chronico, S. *Antoninus, Volterranus, Odericus, Bzouius in Annal. Bartholomæus Burchelatus, Georgius Lazarus in Vita, Bernardus in Chronico, Ciaconius cum* A*uctarijs, alijque omnes, qui de Romanis Pontificibus tractarunt.*

VIII. IDVS IVLII.

Romæ anno seculi decimi septimi tertio supra vigesimum, spiritum emisit in Quirinali Gregorius XV. in ordine Pontifex, ducentesimus duodequadragesimus, patria Bononiensis, qui

breui annorum duorum, mensium 4. dierum vndetriginta imperio, Romam pietate, Cardinalium Senatum vndecim selectissimis viris, Aras Sanctis adauxit; Sanctorum enim ordini Isidorum Agricolam, Ignatium Societatis Iesu Fundatorem, Franciscum Xauerium Indiarum Apostolum, Philippum Nerium Oratorij Romani Institutorem, & Theresiam Virginem Carmelitici Ordinis reparatricem, Beatorum verò Ioannem è Capistrano Minoritam, & Aloysium Gonzagam è Societate Iesu adscripsit. Congregationem propagandæ fidei instituit, Hæreticos ab Italia reiecit, ac diplomata de creatione Pontificis, nec non Imperatoris edidit. fecisset plura, nì fato abreptus præpropero lugentibus omnibus Cœlum petijsset. Cadauer cum iacuisset in Vaticano per breue tempus, translatum ad Templum S. Ignatio à Ludouico Cardinali Ludouisio nepote sacratum. vacauit Sedes per dies 20.

Notæ. 8. Iulij.

Gregorius. *Alexander*, Pompei *Ludouisij*, & *Camillæ Blanchinæ filius*, Archiepiscopus *Bononiensis ante* Pontificatum.

Meminere Gregorij Michaël *Nauclerus in Monarchia, Iacobus Accarisius Episcopus Vestanus in* Vita, *Henricus* Spondanus *in* Annal. Eccles. *Io: Rhò in exemplis virtutum, Hippolytus Marraccius in Pontificibus Marianis, Hannibal Adamus in* Pallade purpu-

purpurata, Ludouicus Iacobus *à* S. *Carolo in Bibliot.*Pontif. *Ferdinandus* Vgbellius *in Italia sacra, Cæsar Cardinalis Rasponus de Basilica Lateranensi, Auctarij Ciaconij, Virginius Cæsarinus, in carmine, & alij plures.*

VII. IDVS IVLII.

Tibure anno salutis 1153. è vita migrauit Eugenius huius nominis tertius, in ordine centesimus sexagesimus nonus Pontifex Maximus, natione Tuscus, Monachus Cisterciensis, ætate, gratia, & sanctitate venerabilis, qui spatio annorum octo, mensium 4. ac dierum 12. quo Rempublicam Christianam administrauerat, Terracinam, Setias, Narniam & Arcem Fumonis à dominio D.Petri iam diù alienatam, recuperauit, Ludouicum Regem ad vltramarinam expeditionem animauit, Noruegiam ad borealem plagam sitam, per suos Nuncios ad Christi fidem traduxit, Romanos tumultibus agitatos placauit, Cardinalium Collegium, viginti quatuor selectissimis viris auxit. Corpus Romam relatum media Vrbe in Basilicam Vaticanam illatum ante aram maximam conditum est. Vacauit Sedes per dies tantùm duos.

Notæ. 9. Iulij.

Eugenius. *Petrus Bernardus* Abbas SS.*Vincentij & Anastasij ad aquas Saluias, in oppido agri Pisani,*

I 3 *cui*

cui Montis magni nomen est, natus, extra Collegium creatus Pontifex.

Multos Cardinalatu non insignitos ad supremum D. Petri solium ascendisse ex monumentis antiquis exploratum est, hi autem sunt Gregorius videlicet V. *Saxo, Imperatoris* Sacerdos *à Sacello, anno* 995. *Siluester II. Archiepiscopus Rauennas* 998. *Clemens II. Saxo Episcopus Bambergensis* 1047. *Damasus II.* Episcopus *Brixiensis* 1048. *Leo IX. Episcopus Tullensis* 1049. *Victor II. Sueuus Episcopus Eistatensis* 1055. *Nicolaus II. Episcopus Florentinus* 1058. *Alexander* II. *Episcopus Lucensis* 1061. *Callistus II. Archiepiscopus* Viennensis 1119. *Vrbanus* IV. *Patriarcha Hierosolymitanus* 1261. *Gregorius X. Archidiaconus Leodiensis* 1271. *Cœlestinus V. Eremi cultor & Abbas* 1294. *Clemens V. Archiepiscopus Burdegalensis* 1305. *Vrbanus* V. *Abbas S. Victoris Massiliæ* 1362. *Vrbanus* VI. *Archiepiscopus Barensis* 1378. *præter Amedeum, & alios electos in schismate, ac præter nonnullos antiquiores.*

Laudant Eugenium Baronius in Annal. Otho Frisingensis Episcopus, Petrus Manlius in Opusc. sac. hist. Monialbus in hist. Cisterciensi, Chrysostomus Henriquez in fasciculo SS. Cisterciensium, S. Bernardus Abbas in Epist. & in lib. de consideratione, S. *Antoninus, Ioannes Saresberiensis, Hugo Ostiensis in epist. de eius obitu, Ciaconius cum* Au*ctarijs, & reliquis, qui historiam Pontificalem prosequuti sunt.*

VI. IDVS

VI. IDVS IVLII.

Anno post Christum natum 984. Pontificatus mense primo, dieque decimo supra nouennium excessit Benedictus VIII. dictus VII. Pontifex in ordine centesimus vndequadragesimus, patria Romanus, vir magni animi & spiritus, qui singularis doctrinæ, iustitiæ, caritatis laude, commendatus, quietam, tranquillamque Vrbem reddidit ob comprehensos, & graui pœna mulctatos viarum grassatores; Arnulphum Episcopum Remensem seditione quorundam pulsum, habita Synodo in integrum restituit, Clericorumque mores corruptos restaurauit. sepultus ad S. Crucem in Hierusalem, quam Basilicam cum Monasterio proximo vetustate collabentem reparauerat. Vacauit Sedes per dies quinque.

Notæ. 10. Iulij.

Benedictus. *Deusdedit antea dictus, ex Comitibus Tusculanis, Alberici Consulis Romani filius, sedit ex alijs Menses quinque supra octennium, obijtque in exilio; alijs in Vrbe post exilium.*

Est nostri Benedicti mentio apud Ditmarum, Baronium in Annal. Henricum Ludouicum Rupipozæum in Nomenclatore Cardinalium, Ciaconium, Panuinium, Platinam, Stellam, & reliquos omnes.

V. IDVS IVLII.

Romæ Beati Pij Papæ vndecimi & Martyris, patria Aquileienſis memoria, qui edixit fidelibus, vt Paſcha die dominico celebrarent, pœnas item ijs impoſuit, qui negligenter Chriſti corpus attrectantes elabi ſinerent, quique in perſecutione Marci Aurelij Antonini anno Domini 165. cum ſediſſet Menſes quinque, ac dies 27. ſupra annum vndecimum, & quinque Ordinationibus conſecraſſet Epiſcopos XII. Presbyteros XVIII. Diaconos XXI. martyrio coronatus eſt. Corpus in Vaticano ſepultum, vacauit Sedes per dies 13.

Notæ. 11. Iulij.

Pij. *fuit Ruffini filius, & adminiſtrauit ex alijs Chriſtianam Rempublicam annos nouem, menſes ſex minùs tribus diebus. liber Romanorum Pontificum inſcriptus* Damaſus *eidem annos nouemdecim, menſes quatuor, dieſque tres tribuit, & Euſebius annos* 15.

Eſt Pij mentio apud Martyrologium *Romanum, Bedam, Vſuardum, Adonem, Baronium in Notis, & in Annal. S. Irenæum, Epiphanium, Optatum, Auguſtinum Epiſt. 165. Nicephorum Epiſc. in Chronico, Martinum Polonum, Io: de Columna, Ptolomæum Lucenſem, Franciſcum* Petrarcam, *Niemium,* Platinam, *Simonettam,* Ciaconium, *eiuſdemque Auctarios, & alios plures.*

III. IDVS

III. IDVS IVLII.

Romæ S. Anacleti Papæ & Martyris natione Græci, patria Atheniensis memoria, qui post S. Petrum quartus, Ecclesiam Dei regens per menses duos, diesque duodetriginta supra nouennium, eam glorioso certamine hac die anno Christi 112. inito decorauit, cum semel Episcopos sex, Presbyteros quinque ac Diaconos tres ordinasset. Vetuit hic religiosis viris comam & barbam nutrire, Episcopum non nisi à tribus alijs Episcopis consecrari debere, ac Clericos non clam, sed publicè ad sacros Ordines admitti. Eius corpus iuxta B.Petri in Vaticano reconditum. Vacauit Romana Sedes per dies tredecim.

Ibidem anno 574. vbi sedisset annos 13. dieſque 16. extinctus est Ioannes huius nominis Tertius, in ordine Pontifex sexagesimus secundus, patria Romanus, qui ampliauit, & restaurauit Cœmeterium SS. Martyrum, ac perfecit Ecclesiam SS. Apostolorum à decessore Pelagio inchoatam; Narsetem Romanis infensum placauit, Armenos ad Christi fidem accedentes, benignissimè excepit, & ordinauit Episcopos 61. Presbyteros 38. Diaconos 13. post obitum sepultus ad Vaticanum in Secretario; vacauit Sedes dies tres, & Menses decem.

Notæ.

Notæ. 13. Iulij.

S. Anacleti. *Antiochi filius*, Martyrium subijt *ex alijs anno* 110. *6. Kal. Maij*. *Græci cum Cleto Anacletum confundunt, ex duobus vnum facientes*.

Celebrant Anacletum Martyrologia omnia tum græca, tum latina, S.Ignatius M. *Epist. ad Mariam Cassabelitem, Irenæus, Eusebius in Chronico, Nicephorus Episcopus, Optatus, Augustinus epist.*165. *Baronius in* Notis, *& in Annal. Platina, Panuinius, Ciaconius, eiusdemque Auctarij, Stella, Gonsaluus Illescas in hist.*Pont.*& alij plures*.

Ioannes. *cognomento.* Catellinus *Anastasij filius sedit Panuinio affirmante annos* 10.*& dies* 15.*ex Baronio verò annos* 13.*minùs* 14.*diebus*.

De quo Ciaconius *cum Auctarijs in* Vita, *Anastasius Bibliothecarius, Binius in Notis ad Concilia, Paulus de Angelis in descriptione Basilicæ* Vaticanæ, *& reliqui aliàs laudati, qui Pontificiam historiam descripserunt*.

XV. KAL. AVGVSTI.

1. Romæ anno post Christum natum 1009. è vita migrauit Ioannes huius nuncupationis duodeuigesimus, in ordine quadragesimus sextus supra centesimum Pontifex, patria Romanus, qui Episcopatus Bambergensem in Germania superiori, & Senensem in Etruria erexit, ali-

quot-

quotque Vrbis Ecclesias vetustate corruentes, reparauit, ac sedit Menses septem diesque vnderriginta supra quinquennium ... Sepultus Laterani; vacauit Sedes per dies triginta.

Notæ. 18. Iulij.

Ioannes. *Ioannes Fasanus, seu Fanassus de Vico* Portæ *Mathodij ante* Pontificatum *dictus. Platina XX. alij XIX. hunc* Ioannem *nominant, sed in diplomatibus extantibus XVIII. dicitur. Sepultus* Panninio *affirmante in* Vaticano.

Huius Pontificis *acta recitant Ditmarus, S. Antoninus, Io: Stella, Iacobus Gaulterius, Gullelmus Biblioth., Martinus* Polonus, Io: *de Columna, Ptolomæus Lucensis, Petrarca, Niemus, Simonetta, Baronius, Ciaconius cum* Auctarijs, *& alij plures.*

XIV. KAL. AVGVSTI.

Romæ anno à partu Virginis 514. Symmachus Papa, in ordine quinquagesimus secundus, natione Sardus, Schismaticorum & Hæreticorum factione diutius fatigatus, sanctitate vitæ conspicuus, cum sedisset annos quindecim, Menses septem, & dies duodeuiginti, migrauit ad Dominum. Plures hic Vrbis Ecclesias exornauit, Synodum *Rauennatensem*, & *Romanam* quintam contra Schismaticos celebrauit, sacroque oleo vnxit Episcopos 117. alijs 132. Presbyteros 92. Diaconos 16. Episcopis in Sardi-

Sardinia Catholicæ fidei causa exulantibus, vestitum, & rem nummariam dum vixit suppeditauit; Captiuos plurimos á diuersis locis redemit, & instituit, vt diebus festiuis *Gloria in excelsis Deo*, caneretur in Templis. Post obitum sepultus in Vaticano, cessauit eius Episcopatus per dies septem.

Notæ. 19. Iulij.

Symmachus. *alijs Cælius Symmachus, Fortunati filius, sedit ex Anastasio Menses 8. diesque 26. ex Platina verò Menses 6. & dies 22. supra annos 15.*

De hoc Sancto Pontifice plura habent Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, & in Annal. Iacobus Gretserus in Exam. Myst. Pless. Binius in Notis ad Concilia, S. Antoninus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij omnes, qui euulgarunt historiam seu sanctam, seu Pontificiam.

XIII. KAL. AVGVSTI.

Anno post partum Virginis 1216. Innocentius III. Pontifex, in ordine septuagesimus octauus supra centesimum, Comitum Signiæ genere, Anagniæ in Campania natus, cum Pisani, & Genuenses maritimo & terrestri bello decertarent, tollendæ discordiæ causa, Roma discedens, per Perusium transiens, morbo correptus ibidem moritur Mense sexto, dieque

nono

nono supra annum duodeuigesimum sui Pontificatus, doctrina & moribus insignis, qui in Vrbe celebrato apud Lateranum Concilio, cui interfuerunt Archiepiscopi septuaginta, quadringenti circiter Episcopi, octingenti Abbates, legati fere omnium Principum Catholicorum, cum Patriarchis, Constantinopolitano, & Hierosolymitano, Xenodochia duo erexit, alterum in Monte Cœlio, alterum in Ciuitate Leonina, primum Religiosis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, secundum Clericis S. Spiritus à se institutis, commisit. Sanctis Homobonum Cremonensem adscripsit, Othonem V. coronauit, bellum Asiaticum promouit, multisque ordinationibus quamplures Cardinales euulgauit, quorum quadraginta duorum tantùm memoria extat. Corpus in Cathedrali eiusdem Vrbis sepultum; vacauit Sedes per diem vnum.

Notæ. 20. Iulij.

Innocentius. *Lotharius ante Pontificatum nuncupatus, Trasimundi filius, sedit Platina auctore Menses 7. diesque 18. supra annum duodeuigesimum; obijtque teste Panuinio 17. Kal. Augusti.*

Huius Pontificis acta referunt Conradus Vrspergensis Abbas, Ioannes Tritbemius, Nicetas, S. Bonauentura in Vita S. Francisci Asissinatis, Matthæus Parisius in Anglia, Odericus, & Bzouius in Ecclesiasticis Annal. Auctor Nomenclatoris Cardina-

dinalium, Aubertus Miræus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij omnes, qui de Romanis Pontificibus tractarunt.

XII. KAL. AVGVSTI.

Anno Dominicæ natiuitatis 987. subita morte raptus est Bonifacius VII. in ordine Pontifex centesimus trigesimus octauus, qui cum Romanam Sedem inuasisset, coactus à Benedicto Cardinali, Roma discedens Constantinopolim fugit, magno assumpto thesauro ab Vrbis Ecclesijs, quas ornamentis omnibus expoliauit. Imperatoris Constantinopolitani fauore Romam repetens, Ioannem Cardinalem magnæ auctoritatis virum oculis priuauit, & Ioannem XIV. Pontificem vinculis alligatum detrusit in carcerem, quare omnibus exosus, mortuus fune ad pedes ligato in platea Lateranensi per aliquot dies inhumatus iacuit; opera tamen nonnullorum Clericorum noctu sepulturæ datus in Laterano; vacauit Sedes per dies decem.

Notæ. 21. Iulij.

Bonifacius. *cognomento Franco, Ferrutij filius, cuius patria ignota, inter Pontifices legitimos ab aliquibus, ab alijs verò inter spurios connumeratur.*

Vide *Baronium, Bellarminum, Leonem Ostiensem, S. Antoninum, Iacobum Gaulterium in Tabula* Chro-

Chronolog. Ciaconium, eiusdemque Auctarios, Panuinium, Io: *Stellam & alios, qui de Romanis* Pontificibus *scripserunt*.

VIII. KAL. AVGVSTI.

Romæ in Vaticano hora noctis quinta, anno salutis 1492 ætatis 62. Pontificatus 7. Mense 10. die 27. excessit Innocentius huius nominis VIII. in ordine ducentesimus decimus septimus Pontifex Maximus, patria Genuensis, clara gente natus, qui Basilicam Vaticanam ferro hastæ, quod latus Domini pendentis in Cruce perfoderat, à Baiazete Turcarum Imperatore in donum accepto, ditauit; Collegium Cardinalium tredecim præstantissimis viris auxit; cum Sanctis Leopoldum Marchionem Austriæ adnumerauit; Principes Christianos sæpiùs iteratis nuncijs ad concordiam, ac proinde ad expeditionem Turcicam hortatus est, Sicarios, & grassatores sustulit; annonam auxit; Boccalinum Auximorum Tyrannum domuit; Carlottæ Cypri Reginæ in Vrbe defunctæ parentauit; plures Vrbis Basilicas restaurauit; Zizimum Baiazetis fratrem cum honore excepit: Romanis inter se reconciliatis antiqua priuilegia firmauit. Corpus in Basilica Vaticana sepultum aereo in monumento. Vacauit Sedes per dies sexdecim.

Notæ.

Notæ. 25.Iulij.

Innocentius. Io: *Baptista Cybo ante Pontificatum nuncupatus, Genuæ, Liguriæ Metropoli, Aarone patre genitus, cuius Maiores ex nobili, antiquissimaque gente in Græcia nati, ante quingentos annos Neapoli, & Genuæ, Vrbibus Italiæ clarissimis consederant.*

Celebrant Innocentium Angelus Politianus, Matthæus Bossius Veronensis in Epist. Leonellus in Oratione funebri; Vbertus Folietta in Elogijs Ligurum. Hippolytus Marraccius in Pontif. nec non in Biblioth. Mariana, Hieronymus Garimbertus, Io: Maria Vailardus in Vita Italicè descripta, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & reliquis, qui historiam Pontificiam euulgarunt.

VII. KAL. AVGVSTI.

Anno salutis 1429. Pontificatus sui quinto, coactus ab Alfonso Rege Aragoniæ, seu ex alijs sponte, depositis vestibus, de Sede descendens, verbo & scripto Pontificatui nuncium remisit Clemens VIII. qui Sedis Apostolicæ auctoritate, & gratia ordinatus est Episcopus Maioricensis. hic in Schismate contra Martinum III. alijs V. à duobus, vel tribus Cardinalibus Penischolæ oppido Regni Valentiæ munitissimo, studio Regis Aragoniæ, Martino Pontifici infensi, electus fuerat ex Canonico Ecclesiæ Barcinonen-

nonensis Pseudopontifex, & quinque renuntiauerat Pseudo Cardinales.

Notæ. 28. Iulij.

Clemens. *Ægidius Sanctij Munionis, aliàs Mugnotius dictus, natione Hispanus.*

De hoc tractant Henricus Spondanus in Eccles. Annal. Balthassar Porregnus in Elogijs Cardinalium Hispanorum, Felix Contelorius in Elencho, Monumenta Archiuij Molis *Adrianæ*, *Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.*

VI.KAL. AVGVSTI.

Hac die, Romæ anno post Christum natum 855. Pontificatus sui octauo, Mense tertio, dieque pariter tertio, habitis duabus Ordinationibus Episcoporum 63. Presbyterorum 19. Diaconorum 8. ad superos euolauit Leo huius nuncupationis IV. in ordine centesimus quintus Pontifex Maximus, patria Romanus, vir sanctissimus, & optimè de Ecclesia Dei, deque Vrbe Roma, ac nomine Christiano meritus, consilio, auctoritate, diligentia, doctrina, magnificentia præclarorum operum clarus. Creditum est, huius precibus Classem Saracenorum post depopulatam, vexatamque Italiam in mari perijsse. eo orante Serpens, qui multos veneno necauerat, ex Ecclesia S. Luciæ in Orphea, in qua latebat, eijcitur. Incendium quoddam

apud S. Petrum excitatum, signo Crucis extinxit, Vaticano muros circumduxit, quem locum Ciuitatem Leoninam de suo nomine appellauit. Fores argenteas S. Petri ab Agarenis direptas, restituit, Concilium septem & quadraginta Episcoporum in Vrbe vocauit; Ostiam à Saracenis vastatam, & prope ad solitudinem redactam, Sardis, & Corsis, incolendam dedit; Angliæ Insulam Ecclesiæ vectigalem, Alidolphi Regis pietate factam Pontificum primus vidit. Accusatus, quod omne imperium penes Constantinopolitanos transferre curaret, ita sese apud Lotharium purgauit, vt improbos delatores pœnas dare coëgerit. Post obitum sepultus ad S. Petrum; vacauit Sedes vsque ad electionem Successoris per dies sex. Huius in Sanctorum numerum relati natalis dies annua commemoratione recolitur 16. Kal. Augusti.

Notæ. 27. Iulij.

Leo. *Rodulphi filius, ante Pontificatum Leo etiam dictus, sedit ex alijs Menses sex, totidemque dies, seu Menses tres, dies 5. supra annos octo. Corpus iacet in Vaticano, cuius pars translata in Gallias, ad Ecclesiam Monasterij S. Petri Condomiensis.*

Res ab hoc Pontifice præclarè gestas descripsere Anastasius Bibliothecarius, Baronius in Annal. & in Notis ad Martyrologium Romanum, Petrus in Catal. Auctor Romæ subterraneæ, Panuinius, Platina,

Ciaco-

Ciaconius, *cum Auctarijs*, *alijque omnes Historici tum sacri*, *tum prophani*.

V. KAL. AVGVSTI.

Romæ anno salutis humanæ 203. martyrio gloriose occubuit Victor I. in ordine Pontifex decimus quintus, natione Afer, qui per mensem vnum, diesque 26. supra nouennium Ecclesiæ nauim summa prudentia, ac sanctitate regens, Theodotum Byzantinum, qui Christum Deum esse negabat, è fidelium numero seiunxit, comprobauitque, vt Paschæ solemne sacrum die Dominico ex Eleutherij sententia celebraretur. Corpus sepultum in Vaticano, vacauit Sedes per dies vndecim.

Ibidem anno Christi 417. cum sedisset annos 15. Menses 2. dies 10. & quatuor ordinationibus consecrasset Episcopos 54. Presbyteros 30. Diaconos 15. sanctitate illustris ad Superos euolauit Innocentius I. in ordine Pontifex quadragesimus primus, patria Albanus, qui Pelagianam hæresim damnauit, & Cataphrygas hæreticos Vrbe expulit: hic alter iustus Loth, occulta Dei prouidentia subtractus fuit, vt peccatoris Populi non videret excidium, apud *Rauennam* positus, quando *Roma* à Gothis capta & direpta fuit. Corpus conditum ad *Vrsum pileatum* apud S. Bibianam, inde translatum ad titulum Equitij. vacauit Sedes per dies 22.

Eadem die anno 1057. Florentiæ in Etruria decessit Victor II. in ordine Pontifex quinquagesimus quintus supra centesimum, natione Germanus, qui tantæ tolerantiæ in perferendis iniurijs, quæ sibi passim à Romanis inferebantur, vt quoties aliquid molestiæ ab eis pateretur, dicere solitus fuerit, Quod fecit Saulus, Paulum pati necesse est, neque ad vindictam vltra accendebatur. Synodum Florentiæ celebrauit, vbi Episcopos complures tum Simoniacos, tum ob turpem vitam Episcopatu priuauit, & Clericis viuendi rationes præscripsit, eosque pœna deterruit; si qui ab Ecclesiæ legibus desciscerent. Sedit per Menses tres, diesque 15. supra biennium. Corpus in Ecclesia S. Reparatæ sepultum, vacauit Sedes per dies quatuor.

Anno verò 1471. Pontificatus 6. Mense 10. apoplexia suffocatus mortuus est Paulus II. in ordine Pontifex ducentesimus decimus quintus, patria Venetus, è vetusta Barborum familia, præclaris naturæ dotibus Auunculo Eugenio IV. non inferior, iustitiæ, pietatis, diuinarumque cœremoniarum cultor religiosissimus, Ecclesiasticæ libertatis, maiestatisque defensor constantissimus; in Iudices seuerus, in Principes munificus, in Pauperes misericordia insignis, qui annonæ copiam in Vrbe conseruauit, Populorum errores benignissimè correxit, Cardinalibus purpuratas vestes dedit, eorumdemque Senatui duodecim selectissimos viros de nouo adscripsit; Fridericum Cæsarem, & Borsonem

primum

primum Ducem Ferrariæ Romam venientes, apparatissimè suscepit; Vngaros & Germanos in Georgium Bohemiæ Regem, perfidum hominem commouit. Ædes ad S.Marcum, & in Vaticano magnificentissimas ædificauit, & suos audaces nimium, & insolentes non tulit. Tumulatus post obitum in Vaticano; vacauit Sedes per dies quatuordecim.

Notæ. 28. Iulij.

Victor I. *Felicis filius, cuius acta, inopia Scriptorum ad nos non peruenerunt. Theodotum Byzantinum, opificem Corinthium, Coriarium arte, multa tamen eruditionis, ac doctrinæ, impium* Apostatam *damnauit.*

De Victore *hoc agunt Baronius in Annal. & in Notis ad Martyrologium Rom. Eusebius in Chronico, Optatus Mileuitanus, Augustinus epist. 165. Recordatus Malaspina in hist. Nigraualles, Ciaconius cum Auctarijs, & reliquis historicis de Romanis Pontificibus.*

Innocentius. *Innocentij filius sedit ex Anastasio dies 20.ex Platina 25.ex* Panuinio *21.supra annos 15. & Menses 2. Baronius verò Mensem vnum & dies 10. supra annum indicatum eidem tribuit.* Obijt *non 5.sed 6.Kal.Augusti.*

Innocentij acta digessit Ciaconius, eiusdemque Auctarij, præter laudatos auctores, & alios multos.

Victor II. *Eberardus Episcopus Aistatensis, Ar-*

cui Montis magni nomen est, natus, extra Collegium creatus Pontifex.

Multos Cardinalatu non insignitos ad supremum D. Petri solium ascendisse ex monumentis antiquis exploratum est, hi autem sunt Gregorius videlicet V. *Saxo, Imperatoris* Sacerdos *à Sacello, anno* 995. *Siluester II. Archiepiscopus Rauennas* 998. *Clemens II. Saxo Episcopus Bambergensis* 1047. *Damasus II.* Episcopus *Brixiensis* 1048. *Leo IX. Episcopus Tullensis* 1049. *Victor II. Sueuus Episcopus Eistatensis* 1055. *Nicolaus II. Episcopus Florentinus* 1058. *Alexander* II. *Episcopus Lucensis* 1061. *Callistus II. Archiepiscopus* Viennensis 1119. *Vrbanus* IV. *Patriarcha Hierosolymitanus* 1261. *Gregorius X. Archidiaconus Leodiensis* 1271. *Cælestinus V. Eremi cultor & Abbas* 1294. *Clemens V. Archiepiscopus Burdegalensis* 1305. *Vrbanus* V. *Abbas S. Victoris Massiliæ* 1362. *Vrbanus* VI. *Archiepiscopus Barensis* 1378. *præter Amedeum, & alios electos in schismate, ac præter nonnullos antiquiores.*

Laudant Eugenium Baronius in Annal. Otho Frisingensis Episcopus, Petrus Manlius in Opusc. sac. hist. Montalbus in hist. Cisterciensi, Chrysostomus Henriquez in fasciculo SS. Cisterciensium, S. Bernardus Abbas in Epist. & in lib. de consideratione, S. Antoninus, Ioannes Saresberiensis, Hugo Ostiensis in epist. de eius obitu, Ciaconius cum Auctarijs, & reliquis, qui historiam Pontificalem prosequuti sunt.

VI.IDVS

VI. IDVS IVLII.

Anno post Christum natum 984. Pontificatus mense primo, dieque decimo supra nouennium excessit Benedictus VIII. dictus VII. Pontifex in ordine centesimus vndequadragesimus, patria Romanus, vir magni animi & spiritus, qui singularis doctrinæ, iustitiæ, caritatis laude, commendatus, quietam, tranquillamque Vrbem reddidit ob comprehensos, & graui pœna mulctatos viarum grassatores; Arnulphum Episcopum Remensem seditione quorundam pulsum, habita Synodo in integrum restituit, Clericorumque mores corruptos restaurauit. sepultus ad S. Crucem in Hierusalem, quam Basilicam cum Monasterio proximo vetustate collabentem reparauerat. Vacauit Sedes per dies quinque.

Notæ. 10. Iulij.

Benedictus. *Deusdedit antea dictus, ex Comitibus Tusculanis, Alberici Consulis Romani filius, sedit ex alijs Menses quinque supra octennium, obijtque in exilio; alijs in Vrbe post exilium.*

Est nostri Benedicti mentio apud Ditmarum, Baronium in Annal. Henricum Ludouicum Rupipozæum in Nomenclatore Cardinalium, Ciaconium, Panuinium, Platinam, Stellam, & reliquos omnes.

V. IDVS IVLII.

Romæ Beati Pij Papæ vndecimi & Martyris, patria Aquileiensis memoria; qui edixit fidelibus, vt Pascha die dominico celebrarent, pœnas item ijs imposuit, qui negligenter Christi corpus attrectantes elabi sinerent, quique in persecutione Marci Aurelij Antonini anno Domini 165. cum sedisset Menses quinque, ac dies 27. supra annum vndecimum, & quinque Ordinationibus consecrasset Episcopos XII. Presbyteros XVIII. Diaconos XXI. martyrio coronatus est. Corpus in Vaticano sepultum, vacauit Sedes per dies 13.

Notæ. 11. Iulij.

Pij. *fuit Ruffini filius, & administrauit ex alijs Christianam Rempublicam annos nouem, menses sex minus tribus diebus.* liber Romanorum Pontificum *inscriptus* Damasus *eidem annos nouemdecim, menses quatuor, diesque tres tribuit, & Eusebius annos* 15.

Est Pij mentio apud Martyrologium *Romanum, Bedam, Vsuardum,* A*donem, Baronium in Notis, & in Annal. S. Irenæum, Epiphanium, Optatum, Augustinum Epist.* 165. *Nicephorum Episc. in Chronico, Martinum Polonum, Io: de Columna, Ptolomæum Lucensem, Franciscum* Petrarcam, *Niemium,* Platinam, *Simonettam,* Ciaconium, *eiusdemque Auctarios, & alios plures.*

III. IDVS

III. IDVS IVLII.

Romæ S. Anacleti Papæ & Martyris natione Græci, patria Atheniensis memoria, qui post S. Petrum quartus, Ecclesiam Dei regens per menses duos, diesque duodetriginta supra nouennium, eam glorioso certamine hac die anno Christi 112. inito decorauit, cum semel Episcopos sex, Presbyteros quinque ac Diaconos tres ordinasset. Vetuit hic religiosis viris comam & barbam nutrire, Episcopum non nisi à tribus alijs Episcopis consecrari debere, ac Clericos non clam, sed publicè ad sacros Ordines admitti. Eius corpus iuxta B.Petri in Vaticano reconditum. Vacauit Romana Sedes per dies tredecim.

Ibidem anno 574. vbi sedisset annos 13. dieſque 16. extinctus est Ioannes huius nominis Tertius, in ordine Pontifex sexagesimus secundus, patria Romanus, qui ampliauit, & restaurauit Cœmeterium SS. Martyrum, ac perfecit Ecclesiam SS. Apostolorum à decessore Pelagio inchoatam; Narsetem Romanis infensum placauit, Armenos ad Christi fidem accedentes, benignissimè excepit, & ordinauit Episcopos 61. Presbyteros 38. Diaconos 13. post obitum sepultus ad Vaticanum in Secretario; vacauit Sedes dies tres, & Menses decem.

Notæ.

Notæ. 13. Iulij.

S. Anacleti. *Antiochi filius*, *Martyrium subijt ex alijs anno* 110. *6. Kal.* Maij. *Græci cum Cleto Anacletum confundunt*, *ex duobus vnum facientes*.

Celebrant Anacletum *Martyrologia omnia tum græca*, *tum latina*, *S. Ignatius* M. *Epist. ad Mariam Cassabelitem*, *Irenaus*, *Eusebius in Chronico*, *Nicephorus Episcopus*, *Optatus*, *Augustinus epist.* 165. *Baronius in* Notis, *& in Annal. Platina, Panuinius*, Ciaconius, *eiusdemque Auctarij*, Stella, *Gonsaluus Illescas in hist.* Pont. *& alij plures*.

Ioannes. *cognomento*. Catellinus *Anastasi filius sedit Panuinio affirmante annos* 10. *& dies* 15. *ex Baronio verò annos* 13. *minùs* 14. *diebus*.

De quo Ciaconius *cum Auctarijs in Vita*, *Anastasius Bibliothecarius*, *Binius in Notis ad Concilia*, *Paulus de Angelis in descriptione Basilicæ* Vaticanæ, *& reliqui aliàs laudati*, *qui Pontificiam historiam descripserunt*.

XV. KAL. AVGVSTI.

Romæ anno post Christum natum 1009. è vita migrauit Ioannes huius nuncupationis duodeuigesimus, in ordine quadragesimus sextus supra centesimum Pontifex, patria Romanus, qui Episcopatus Bambergensem in Germania superiori, & Senensem in Etruria erexit, ali-

quot-

quotque Vrbis Ecclesias vetustate corruentes reparauit, ac sedit Menses septem diesque vnderriginta supra quinquennium. Sepultus Laterani; vacauit Sedes per dies triginta.

Notæ. 18. Iulij.

Ioannes. *Ioannes Fasanus, seu Fanassus de Vico* Portæ *Mathodij ante* Pontificatum *dictus. Platina XX. alij XIX. hunc* Ioannem *nominant, sed in diplomatibus extantibus XVIII. dicitur. Sepultus* Panuinio *affirmante in* Vaticano.

Huius Pontificis *acta recitant Ditmarus, S. Antoninus, Io: Stella, Iacobus Gaulterius, Gullelmus Biblioth. Martinus* Polonus, Io: *de Columna, Ptolomæus Lucensis, Petrarca, Niemus, Simonetta, Baronius, Ciaconius cum* Auctarijs, *& alij plures.*

XIV. KAL. AVGVSTI.

Romæ anno à partu Virginis 514. Symmachus Papa, in ordine quinquagesimus secundus natione Sardus, Schismaticorum & Hæreticorum factione diutius fatigatus, sanctitate vitæ conspicuus, cum sedisset annos quindecim, Menses septem, & dies duodeuiginti, migrauit ad Dominum. Plures hic Vrbis Ecclesias exornauit, Synodum *Rauennatensem*, & *Romanam* quintam contra Schismaticos celebrauit, sacroque oleo vnxit Episcopos 117. alijs 133. Presbyteros 92. Diaconos 16. Episcopis in Sardi-

Sardinia Catholicæ fidei causa exulantibus, vestitum, & rem nummariam dum vixit suppeditauit; Captiuos plurimos à diuersis locis redemit, & instituit, vt diebus festiuis *Gloria in excelsis Deo*, caneretur in Templis. Post obitum sepultus in Vaticano, cessauit eius Episcopatus per dies septem.

Notæ. 19. Iulij.

Symmachus. *alijs Cœlius Symmachus, Fortunati filius, sedit ex Anastasio Menses 8. diesque 26. ex Platina verò Menses 6. & dies 22. supra annos 15.*

De hoc Sancto Pontifice plura habent Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, & in Annal. Iacobus Gretserus in Exam. Myst. Plesf. Binius in Notis ad Concilia, S. Antoninus; Ciaconius cum Auctarijs, & alij omnes, qui euulgarunt historiam seu sanctam, seu Pontificiam.

XIII. KAL. AVGVSTI.

Anno post partum Virginis 1216. Innocentius III. Pontifex, in ordine septuagesimus octauus supra centesimum, Comitum Signiæ genere, Anagniæ in Campania natus, cum Pisani, & Genuenses maritimo & terrestri bello decertarent, tollendæ discordiæ causa, Roma discedens, per Perusium transiens, morbo correptus ibidem moritur Mense sexto, dieque

nono

nono supra annum duodeuigesimum sui Pontificatus, doctrina & moribus insignis, qui in Vrbe celebrato apud Lateranum Concilio, cui interfuerunt Archiepiscopi septuaginta, quadringenti circiter Episcopi, octingenti Abbates, legati fere omnium Principum Catholicorum, cum Patriarchis, Constantinopolitano, & Hierosolymitano, Xenodochia duo erexit, alterum in Monte Cœlio, alterum in Ciuitate Leonina, primum Religiosis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, secundum Clericis S. Spiritus à se institutis, commisit. Sanctis Homobonum Cremonensem adscripsit, Othonem V. coronauit, bellum Asiaticum promouit, multisque ordinationibus quamplures Cardinales euulgauit, quorum quadraginta duorum tantùm memoria extat. Corpus in Cathedrali eiusdem Vrbis sepultum; vacauit Sedes per diem vnum.

Notæ. 20. Iulij.

Innocentius. *Lotharius ante Pontificatum nuncupatus, Trasimundi filius, sedit Platina auctore Menses 7. diesque 18. supra annum duodeuigesimum; obijtque teste Panuinio 17. Kal. Augusti.*

Huius Pontificis acta referunt Conradus Vrspergensis Abbas, Ioannes *Trithemius, Nicetas, S. Bonauentura in* Vita *S. Francisci Asisinatis*, Mat*thæus Parisius in Anglia, Odericus, & Bzouius in Ecclesiasticis* Annal. *Auctor Nomenclatoris* Car-*dina-*

dinalium, Aubertus Miræus, Ciaconius cum Additamentis, & alij omnes, qui de Romanis Pontificibus tractarunt.

XII. KAL. AVGVSTI.

Anno Dominicæ natiuitatis 987. subita morte raptus est Bonifacius VII. in ordine Pontifex centesimus trigesimus octauus, qui cum Romanam Sedem inuasisset, coactus à Benedicto Cardinali, Roma discedens Constantinopolim fugit, magno assumpto thesauro ab Vrbis Ecclesijs, quas ornamentis omnibus expoliauit. Imperatoris Constantinopolitani fauore Romam repetens, Ioannem Cardinalem magnæ auctoritatis virum oculis priuauit, & Ioannem XIV. Pontificem vinculis alligatum detrusit in carcerem, quare omnibus exosus, mortuus fune ad pedes ligato in platea Lateranensi per aliquot dies inhumatus iacuit; opera tamen nonnullorum Clericorum noctu sepulturæ datus in Laterano; vacauit Sedes per dies decem.

Notæ. 21. Iulij.

Bonifacius. *cognomento Franco, Ferrutij filius, cuius patria ignota, inter Pontifices legitimos ab aliquibus, ab alijs verò inter spurios connumeratur.*

Vide Baronium, Bellarminum, Leonem Ostiensem, S. Antoninum, Iacobum Gaulterium in Tabula

Chro-

Chronolog. Ciaconium, eiusdemque Auctarios, Panuinium, *Io:Stellam & alios; qui de Romanis* Pontificibus *scripserunt*.

VIII. KAL. AVGVSTI.

*R*omæ in Vaticano hora noctis quinta, anno salutis 1492 ætatis 62. Pontificatus 7. Mense 10. die 27. excessit Innocentius huius nominis VIII. in ordine ducentesimus decimus septimus Pontifex Maximus, patria Genuensis, clara gente natus, qui Basilicam Vaticanam ferro hastæ, quod latus Domini pendentis in Cruce perfoderat, à Baiazete Turcarum Imperatore in donum accepto, ditauit; Collegium Cardinalium tredecim præstantissimis viris auxit; cum Sanctis Leopoldum Marchionem Austriæ adnumerauit; Principes Christianos sæpius iteratis nuncijs ad concordiam, ac proinde ad expeditionem Turcicam hortatus est, Sicarios, & grassatores sustulit; annonam auxit; Boccalinum Auximorum Tyrannum domuit; Carlottæ Cypri Reginæ in Vrbe defunctæ parentauit; plures Vrbis Basilicas restaurauit; Zizimum Baiazetis fratrem cum honore excepit: Romanis inter se reconciliatis antiqua priuilegia firmauit. Corpus in Basilica Vaticana sepultum aereo in monumento. Vacauit Sedes per dies sexdecim.

Notæ.

Notæ. 25.Iulij.

Innocentius. Io: *Baptista Cybo ante Pontificatum nuncupatus, Genuæ, Liguriæ Metropoli, Aarone patre genitus, cuius Maiores ex nobili, antiquissimaque gente in Græcia nati, ante quingentos annos Neapoli, & Genuæ, Vrbibus Italiæ clarissimis consederant.*

Celebrant Innocentium Angelus Politianus, Matthæus Bossius Veronensis in Epist. Leonellus in Oratione funebri; Vbertus Folietta in Elogijs Ligurum, Hippolytus Marraccius in Pontif. nec non in Biblioth. Mariana, Hieronymus Garimbertus, Io: Maria Vailardus in Vita Italicè descripta, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & reliquis, qui historiam Pontificiam euulgarunt.

VII. KAL. AVGVSTI.

Anno salutis 1429. Pontificatus sui quinto, coactus ab Alfonso Rege Aragoniæ, seu ex alijs sponte, depositis vestibus, de Sede descendens, verbo & scripto Pontificatui nuncium remisit Clemens VIII. qui Sedis Apostolicæ auctoritate, & gratia ordinatus est Episcopus Maioricensis. hic in Schismate contra Martinum III. alijs V. à duobus, vel tribus Cardinalibus Penicholæ oppido Regni Valentiæ munitissimo, studio Regis Aragoniæ, Martino Pontifici infensi, electus fuerat ex Canonico Ecclesiæ Barcinonen-

nonensis Pseudopontifex, & quinque renuntiauerat Pseudo Cardinales.

Notæ. 28. Iulij.

Clemens. *Ægidius Sanctij Munionis, aliàs Mugnotius dictus, natione Hispanus.*

De hoc tractant Henricus Spondanus in Eccles. Annal. Balthassar Porregnus in Elogijs Cardinalium Hispanorum, Felix Contelorius in Elencho, Monumenta Archiuij Molis Adrianæ, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

VI.KAL. AVGVSTI.

Hac die, Romæ anno post Christum natum 855. Pontificatus sui octauo, Mense tertio, dieque pariter tertio, habitis duabus Ordinationibus Episcoporum 63. Presbyterorum 19. Diaconorum 8. ad superos euolauit Leo huius nuncupationis IV. in ordine centesimus quintus Pontifex Maximus, patria Romanus, vir sanctissimus, & optimè de Ecclesia Dei, deque Vrbe Roma, ac nomine Christiano meritus, consilio, auctoritate, diligentia, doctrina, magnificentia præclarorum operum clarus. Creditum est, huius precibus Classem Saracenorum post depopulatam, vexatamque Italiam in mari perijsse. eo orante Serpens, qui multos veneno necauerat, ex Ecclesia S. Luciæ in Orphea, in qua latebat, eijcitur. Incendium quoddam

apud S. Petrum excitatum, signo Crucis extinxit, Vaticano muros circumduxit, quem locum Ciuitatem Leoninam de suo nomine appellauit. Fores argenteas S. Petri ab Agarenis direptas, restituit, Concilium septem & quadraginta Episcoporum in Vrbe vocauit; Ostiam à Saracenis vastatam, & prope ad solitudinem redactam, Sardis, & Corsis, incolendam dedit; Angliæ Insulam Ecclesiæ vectigalem, Alidolphi Regis pietate factam Pontificum primus vidit. Accusatus, quod omne imperium penes Constantinopolitanos transferre curaret, ita sese apud Lotharium purgauit, vt improbos delatores pœnas dare coëgerit. Post obitum sepultus ad S.Petrum; vacauit Sedes vsque ad electionem Successoris per dies sex. Huius in Sanctorum numerum relati natalis dies annua commemoratione recolitur 16.Kal.Augusti.

Notæ. 27. Iulij.

Leo. *Rodulphi filius, ante Pontificatum Leo etiam dictus, sedit ex alijs Menses sex, totidemque dies, seu Menses tres, dies* 5. *supra annos octo. Corpus iacet in Vaticano; cuius pars translata in Gallias, ad Ecclesiam Monasterij* S. *Petri Condomiensis.*

Res ab hoc Pontifice præclarè gestas descripsere Anastasius Bibliothecarius, Baronius in Annal. & in Notis ad Martyrologium Romanum, Petrus *in Catal. Auctor Romæ subterraneæ, Panuinius*, Platina,

Ciaco-

Ciaconius, cum Auctarijs, alijque omnes Historici tum sacri, tum prophani.

V. KAL. AVGVSTI.

Romæ anno salutis humanæ 203. martyrio gloriosè occubuit Victor I. in ordine Pontifex decimus quintus, natione Afer, qui per mensem vnum, diesque 26. supra nouennium Ecclesiæ nauim summa prudentia, ac sanctitate regens, Theodotum Byzantinum, qui Christum Deum esse negabat, è fidelium numero seiunxit, comprobauitque, vt Paschæ solenne sacrum die Dominico ex Eleutherij sententia celebraretur. Corpus sepultum in Vaticano; vacauit Sedes per dies vndecim.

Ibidem anno Christi 417. cum sedisset annos 15. Menses 2. dies 10. & quatuor ordinationibus consecrasset Episcopos 54. Presbyteros 30. Diaconos 15. sanctitate illustris ad Superos euolauit Innocentius I. in ordine Pontifex quadragesimus primus, patria Albanus, qui Pelagianam hæresim damnauit, & Cataphrygas hæreticos Vrbe expulit. hic alter iustus Loth, occulta Dei prouidentia subtractus fuit; vt peccatoris Populi non videret excidium, apud *Rauennam* positus, quando *Roma* à Gothis capta & direpta fuit. Corpus conditum ad Vrsum pileatum apud S. Bibianam, inde translatum ad titulum Equitij. vacauit Sedes per dies 22.

Eadem die anno 1057. Florentiæ in Etruria decessit Victor II. in ordine Pontifex quinquagesimus quintus supra centesimum, natione Germanus, qui tantæ tolerantiæ in perferendis iniurijs, quæ sibi passim à Romanis inferebantur, vt quoties aliquid molestiæ ab eis pateretur, dicere solitus fuerit, Quod fecit Saulus, Paulum pati necesse est, neque ad vindictam vltra accendebatur. Synodum Florentiæ celebrauit, vbi Episcopos complures tum Simoniacos, tum ob turpem vitam Episcopatu priuauit, & Clericis viuendi rationes præscripsit, eosque pœna deterruit; si qui ab Ecclesiæ legibus descisscerent. Sedit per Menses tres, diesque 15. supra biennium. Corpus in Ecclesia S. Reparatæ sepultum, vacauit Sedes per dies quatuor.

Anno verò 1471. Pontificatus 6. Mense 10. apoplexia suffocatus mortuus est Paulus II. in ordine Pontifex ducentesimus decimus quintus, patria Venetus, è vetusta Barborum familia, præclaris naturæ dotibus Auunculo Eugenio IV. non inferior, iustitiæ, pietatis, diuinarumque cœremoniarum cultor religiosissimus, Ecclesiasticæ libertatis, maiestatisque defensor constantissimus; in Iudices seuerus, in Principes munificus, in Pauperes misericordia insignis, qui annonæ copiam in Vrbe conseruauit, Populorum errores benignissimè correxit, Cardinalibus purpuratas vestes dedit, eorumdemque Senatui duodecim selectissimos viros de nouo adscripsit; Fridericum Cæsarem, & Borsonem

primum

primum Ducem Ferrariæ Romam venientes, apparatissimè suscepit; Vngaros & Germanos in Georgium Bohemiæ Regem, perfidum hominem commouit. Ædes ad S.Marcum, & in Vaticano magnificentissimas ædificauit, & suos audaces nimium, & insolentes non tulit. Tumulatus post obitum in Vaticano; vacauit Sedes per dies quatuordecim.

Notæ. 28. Iulij.

Victor I. *Felicis filius, cuius acta, inopia Scriptorum ad nos non peruenerunt. Theodotum Byzantinum, opificem Corinthium, Coriarium arte, multa tamen eruditionis, ac doctrinæ, impium Apostatam damnauit.*

De Victore hoc agunt Baronius in Annal. & in Notis ad Martyrologium Rom. Eusebius in Chronico, Optatus Mileuitanus, Augustinus epist. 165. Recordatus Malaspina in hist. Nigraualles, Ciaconius cum Auctarijs, & reliquis historicis de Romanis Pontificibus.

Innocentius. *Innocentij filius sedit ex Anastasio dies 20.ex Platina 25.ex* Panuinio *21.supra annos 15. & Menses 2. Baronius verò Mensem vnum & dies 10. supra annum indicatum eidem tribuit. Obijt non 5.sed 6.Kal.Augusti.*

Innocentij acta digessit Ciaconius, eiusdemque Auctarij, præter laudatos auctores, & alios multos.

Victor II. *Eberardus Episcopus Aistatensis, Ar-*

duigi filius ex Comitibus Calbensibus, propinquo sanguine Imperatores tangentibus natus.

De Victore præter alios laudatos Auctores historiæ Pontificiæ, *tractant Leo Ostiensis in Chronico, Petrus Damiani in Epist. Iacobus Gaulterius in Tabul.* Chronograph. S. Antoninus, *& alij plures.*

Paulus II. *Petrus Barbus ante Pontificatum nuncupatus, obijt ex* Contelorio *7. ex alijs 8. Kal. Augusti anno ætatis 54. quare aberrant illi, qui* Paulum *octogenario maiorem Petri* Cathedram *ascendisse credunt.*

Paulum celebrant Ægidius Cardinalis Viterbiensis *in hist. 20. secul. Cardinalis* Papiensis *in literis; Raphael Volaterranus, Hippolytus Marraccius in Pontif. & in Biblioth. Mariana; Ferdinandus Vghellius in Italia sacra, Iacobus Gretserus, Hieronymus Garimbertus, Ciaconius cum Auctarijs,* Platina, *alijque omnes, qui historiam* Pontificiam *prosequuti sunt.*

IV. KAL. AVGVSTI.

Anno post Christum natum 1099. *Romæ* in Palatio Petri Leonis viri nobilissimi & potentissimi, prope S. Nicolai in carcere ædem sacram, de Romana Sede optimè meritus beato fine quieuit Vrbanus huius nominis II. in ordine Pontifex, centesimus sexagesimus primus, natione Gallus, patria *R*emensis, Auctor expeditionis in Infideles, Synodi Barensis in Apulia,

Pla-

Placentinæ in Gallia Cisalpina, & Claromontanæ in Gallia, quibus interfuit, qui sedit annos vndecim, Menses tres, dies 18. Clementis III. Pseudopontificis sectatoribus insectanter semper inuisus, quare in Insula Lycaonia Tyberis per menses plures latuit, Romanarum Matronarum benignitate sustentatus, inter Cardinales, viros quadraginta & vnum cooptauit, cuius Corpus per Transtyberinam regionem ad vitandas inimicorum insidias, qui etiam mortuum lædere conabantur, ad S.Petrum in Vaticano delatum, ibi honorificentissimè marmoreo sepulchro conditum. Vacauit Sedes per dies quatuordecim.

Ibidem eadem die, anno salutis 1644. ætatis 77. post expletos in Pontificatu vnum & viginti annos, octo diebus exceptis, piè mortuus est in Quirinali Vrbanus VIII. in ordine ducentesimus vndequadragesimus Pontifex Maximus, patria Florentinus, Barberina gente natus, vir magni ingenij, & prudentiæ singularis, humanissimus, ac in familiares munificus, qui ditionem Ecclesiasticam Munimentis firmauit, Armamentarijs instruxit, Opificijs ac Prouincijs auxit, Vrbem ædificijs illustrauit, ac mœnibus cinxit, eamdemque contagij morbo immunem sua vigilantia seruauit, Iubilæum celebrauit, Ansanum Calastatum Piratam Thyrreni maris infensissimum extinxit, Aris Sanctos, Cardinalibus Eminentiam, septuaginta quatuor selectissimis viris sacram purpuram concessit. sua-

rum Apum aculeum solùm in perduelles vsurpans, mel retinuit pro reliquis. Post obitum in Tumulo Vaticano, quod sibi viuens parauerat, appositus est. Vacauit Sedes per mensem vnum, & dies 17.

Notæ. 29. Iulij.

Vrbanus II. *Otho ante Pontificatum vocatus* Monachus Cluniacensis, *& Episcopus Ostiensis, à Gregorio VII. decessore morti proximo dignus tanta dignitate pronuntiatus, sedit ex alijs menses quatuor, diesque duodeuiginti supra annum vndecimum, cuius memoria vti viri sancti colitur in Martyrclogio* Monastico, *& apud Philippum Ferrarium in* Catalogo *Sanctorum, qui non sunt in* Martyrologio *Romano.*

Huius acta sunt apud Petrum Diaconum in hist. Cassinensi, Guillelmum Tyrium de bello sacro, Aimoinum, Augustinum Vvichmans in Sabbatismo Mariano, Arnoldum *Vvion in Ligno vitæ, Honorium* Augustodunensem, *S. Antoninum, Genebrardum, Marraccium in* Pontificibus *Marianis, & in Biblioth.* Petrum *Frizonium in Gallia purpurata, Guibertum* Abbatem *in hist. Hierosolymitana, Annales* Cistercienſium, *Baronium in Annal. Trithemium, Radulphum Tungrensem, Vincentium in Speculo,* Ciacopium *eiusque Auctarios, & alios omnes, qui Romanorum* Pontificum Vitas *descripserunt.*

Vrbanus VIII. *Mapheus Barberinus ante Pontificatum*

catum nuncupatus, Antonij ex Camilla Barbadora vxore filius, Sanctis Elisabettam Lusitaniæ Reginam, Andream Corsinum Episcopum Fesulanum, & Martyres plures Japponenses, nec non Beatis Mariam Magdalenam de Pazzis Virginem Florentinam, & Franciscum Borgiam Ducem Gandiæ, ac III. Præpositum Generalem Societatis Iesu adscripsit.

Huius Pontificis vitam euulgarunt Fr. Lucas Vvadingus, Franciscus Thomasuccius *Auctarij Ciaconij, Theodorus Amydenus, eiusdemque virtutes explicarunt Hippolytus Marraccius in* Pontificibus *Marianis, Io: Baptista Visus in Inscriptionibus, Hieronymus Ghillinus in Theatro, Io: Imperialis in Musæo, Guido Cardinalis Bentiuolus in hist. Belgica, & in memorijs historicis, Ferdinandus* Vghellius *in Italia sacra, Sfortia Pallauicinus, Franciscus Alteyius in Idilio; Hieronymus* Locadellus*, Attilius Marcellinus, Aurelius Vrsus, Matthias Sarbienius in* Carminibus*, & Historici omnes nostræ ætatis.*

PRIDIE KAL. AVGVSTI.

Anno Domini 579. cum sedisset annos 4. Mensem 1. diesque duodeuiginti, sollicitudine, & dolore, quem in calamitatibus Vrbis Romæ, ac Italiæ conceperat ex incursionibus Longobardorum, mortuus est Benedictus primus, patria Romanus, Pontifex in ordine sexagesimus tertius, qui Italiam fame, & inædia laborantem, magna frumenti copia ex Ægypto aduecta, suble-

lena-

leuauerat, vnicaque ordinatione Episcopos vnum & viginti, Presbyteros quindecim, Diaconos tres consecrauerat. Sepultus in Secretario Basilicæ Vaticanæ. Vacauit Sedes per menses tres & dies x.

Notæ, 31. Iulij.

Benedictus, *cognomento Bonosus ex Patre Bonifacio, sedit ex Panuinio Menses duos, & dies quindecim supra triennium, seu ex Baronio Mensem vnum, dies 28. supra quartum annum.*

Est Benedicti mentio apud Petrum Ricordatum in historia Monastica, Platinam, Ciaconium, eiusdemque Auctarios, & reliquos, qui de Romanis Pontificibus scripserunt, quorum aliqui hunc cum Benedicto II. confundunt.



AVGV-

AVGVSTVS.

IV. NONAS AVGVSTI.

ROmæ in Cœmeterio Callisti natalis S. Stephani Papæ huius nominis primi, in ordine vigesimi quarti, patria *Romani*, qui vetito ne Sacerdotes & Leuitæ vestibus vterentur sacris, præter quam in sacris celebrandis, in persecutione Valeriani, anno salutis humanæ 260. dum Missæ sacrificium perageret, superuenientibus Militibus, ante altare intrepidus, & immobilis coepta mysteria perficiens, Pontificatus anno 3. Mense 3. die 26. securi perculsus est cum bis Episcopos tres, Presbyteros sex, Diaconos quinque creasset; cuius Corpus ex Callisti Cœmeterio, in quo primò conditum, Paulus huius nominis primus Pontifex in nouo Templo, quod *Romæ* in domo paterna à fundamentis in huius, nec non Siluestri honorem extruxerat ad Campum Martium, condidit. Vacauit Sedes post Stephani obitum per dies 22.

Ibidem anno 638. dolore concepto ob deprædatos Ecclesiæ Thesauros extinctus est Seuerinus, huius nuncupationis primus, in ordine Pontifex septuagesimus secundus, patria Romanus, Pontificatus sui post annum primum, mense secundo, die tertia, vir singularis pietatis, & religionis, amator Pauperum, in calamitosos benignus, in omnes munificus, in reparandis

Tem-

Templis splendidius, vna tantum habita Ordinatione Episcoporum nouem. Sepultus ad Sanctum Petrum, vacauit Romana Sedes, vsque ad nouam consecrationem Menses 4. dies 22.

Notæ. 2. Augusti.

Stephanus. *alijs Iulius Stephanus, Iulij filius, de cuius Sedis annis diuersæ sunt sententiæ, verior est illa, quam superiùs indicauimus. Huius acta sincera & indubitata ex Notarijs explicarunt* Ado, *Vsuardus, Beda, atque ex illis Simeon Metaphrastes, Baronius in Annalibus, & in Notis ad Martyrologium Romanum, Eusebius in Chronico, Cyprianus, Optatus, Augustinus,* Nicephorus, *Ciaconius, eiusdemque Auctarij, ac reliqui omnes, qui de Romanis Pontificibus tractarunt.*

Seuerinus. *Labieni filius, alijs Seuerianus, cuius Sedi* Panuinius *annos duos, menses quatuor, Anastasius dies 4. supra menses vndecim tribuunt.*

Mauritius Carthularius *Tribunus* Militum *Isacij Exarchi, cum Ministris Imperatoris diripuerat Lateranensem Thesaurum opulentissimum, ad eam diem intactum.*

Celebrant Seuerinum præter aliàs laudatos Auctores, Hieronymus Rubeus in hist. Rauennæ, Bellarminus, Baronius in Annal. Ciaconius cum Auctarijs, & alij.

III. NONAS AVGVSTI.

Romæ anno à partu Virginis *686.* longa & graui

graui infirmitate correptus, vir tamen eximia religione, & probitate, obijt Ioannes V. Pontifex Maximus in ordine octogesimus tertius, consecratus sine Imperatoris Constantinopolitani assensu, natione Syrus, vnica tantùm habita ordinatione Episcoporum 13. cum sedisset in Petri Cathedra dies nouem supra annum vnum, vacauit Sedes post huius obitum menses duos, diesque duodeuiginti.

Notæ. 3. Augusti.

Ioannes. *Cyriaci filius sedit ex Baronio dies vndecim, ex S. Antonino dies octo supra annum vnum; ex qua diuersitate, plures variant in assignanda die obitus, quorum aliqui 4. Nonas, alij 8. Idus Augusti euenisse affirmant.*

Meminere Ioannis, Panuinius, Platina, Baronius, Ciaconius, eiusdemque Auctarij, & reliqui omnes, qui historiam pontificiam elucubrarunt.

VIII. IDVS AVGVSTI.

Romæ via Appia in Cœmeterio Callisti natalis B. Xixti huius nominis secundi, in ordine vigesimi quinti Papæ, & Martyris, natione Græci, patria Atheniensis, qui anno Dominicæ Natiuitatis 261. in persecutione Valeriani gladio animaduersus, martyrij coronam accepit, cum ordinasset Episcopos duos, Presbyteros quatuor, Diaconos septem, atque in Pontificatu

haud integrum exegisset annum. Corpus, è Cœmeterio Callisti ad Ecclesiam suo nomini erectam via Appia, iuxta Piscinam publicam, Tigridis Titulum dictam, deductum scimus. Vacauit post illius martyrium Sedes per mensem vnum, & dies quinque.

Ibidem eadem die anno Christi 523. obdormiuit in Domino, S. Hormisda Papa, in ordine tertius supra quinquagesimum, natione Campanus, patria Venafrinus, qui præfuit Ecclesiæ per annos nouem, ac dies vndecim, & prouincialem Synodum in Vrbe habuit, omniumque assensu Eutychianos iam antea improbatos damnauit, & accepit à Christianissimo Clodoueo Rege coronam auream cum gemmis, Regnum deinde nuncapatam, quo Romani Pontifices successores vsi sunt in solemnioribus diebus. de more creauit Episcopos 55. Presbyteros 21. Diaconos 10. Corpus in Basilica S. Petri ad Vaticanum conditum. vacauit post eius obitum Sedes Romana per dies sex.

Anno verò 1458. Romæ, in Palatio Vaticano, octogenario maior mortuus est Callistus III. Pontifex, in ordine decimus tertius supra ducentesimum, natione Hispanus, patria Valentinus, qui post coronationem votum vouit aduersus Turcas, quare bellum illis indixit, breui tamen Pontificatu, nam non sedit nisi annos tres, & menses quatuor, quæ mente conceperat, perficere non valuit; Claruit scientia iuris, & multarum rerum experientia. Inter Sanctos

ctos retulit Osmundum Anglum Episcopum, & Vincentium Ferrerium, Hispanum, Ordinis Prædicatorum, qui Pontificatum multis ab hinc annis ei prædixerat, ac Cardinalium Senatum nouem viris selectissimis auxit, quorum duo successerunt in suprema dignitate. Contentiones Romæ exortas inter Vrsinorum factionem, & Comitem Anguillariæ, cui fauebant Columnenses, sua auctoritate sedauit; instituit, vt ad ictum Campanæ, in meridie fideles ad Deum conuersi suos ardentibus precibus iuuarent, qui cum Turcis dimicabant; in Pauperes liberalissimum, victu continentissimum fuisse tradunt; facilem cuiuis ad se aditum præbebat, nec varijs occupationibus circumuentus, diuinarum & humanarum rerum studia intermisit. Corpus sepultum ad Vaticanum in Templo dicto *Rotundum*, S. Mariæ de Febribus. Vacauit Sedes eo mortuo per dies duodecim.

Notæ. 6. Augusti.

Sixtus. *Philosophi filius, doctissimus ex Philosopho, Christi discipulus, sedit Authore Damaso annos duos, totidem menses, & dies sex, cuius corpus Philippi Ferrarij sententia Derthonæ in Insubria iacet. Caput tamen ac brachium in Gallia esse Andreas Saussay in Martyrologio Gallico affirmat.*

Prudentius Xistum cruci affixum tradit.

Laudant tantum virum Latini in Martyrologio, Græci in Menologio 4. *Nonas Augusti, Flamin-*

Panui-

Panuinius, Maphæus Cardinalis Barberinus in Carmine, Gretſerus contra Pleſſæum, Ciaconius cum Auctarijs, Baronius in Annalibus, & in Notis, & reliqui omnes, qui hiſtoriam ſanctam, aut pontificiam euulgarunt.

Hormiſda. *alijs* Cœlius *Hormiſda filius Iuſti de Fruſinone, vnde Fruſinas creditus, obijt ex alijs anno* 522.

Huius acta digeſſit in Annalibus Baronius, Platina, Panuinius, Anaſtaſius, Ciaconius & alij eadem referunt.

Calliſtus III. *Alphonſus Borgia ante Pontificatum nuncupatus,* Ioanne *patre, & Franciſca genitus, Crucem aduersùs Turcas indixit.*

De Calliſto Pius II. in Commentarijs, Panuinius, Cochlæus in hiſt. Huſſitarum, Ægidius Viterbienſis, Carolus Sigonius de Epiſcopis Bononienſibus, Philippus, Garimbertus, S. Antoninus, Genebrardus, Ianus Vitalis, Felix Contelorius in Elencho, Hippolytus Marraccius in Pontificibus Marianis, Arnoldus Vvion in Ligno vitæ, Mutius Parſa in Bibliotheca Vaticana, Ciaconius cum Auctarijs, & alij omnes, qui de Romanis Pontificibus ſcripſerunt.

IV. IDVS AVGVSTI.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1048. Præneſte, quò ſe animi cauſa ad fugiendos vrbanos æſtus contulerat, mortuus eſt Damaſus II. Pontifex in ordine centeſimus quinquageſimus tertius, natio-

natione Bauarus, vir ingeniosus, & negotiorum tractandorum dexter, qui per dies tantùm viginti tres præfuit *R*omanæ Ecclesiæ. Ferunt nonnulli vsum gentiliciorum insignium Damasum hunc in Sedem Apostolicam inuexisse. Corpus Romam relatum, in Basilica S, Laurentij extra muros conditum. Vacauit Romana Sedes per Menses sex, & dies quindecim.

Notæ. 10. Augusti.

Damasus. *Popo Baginarius antea vocatus Episcopus Brixiensis, & Patriarcha Aquileiensis, Imperatoris Cancellarius, dictus ex alijs Bobbo, vel Stephanus, aut Fridericus Baginarij filius.*

Huius acta referunt Baronius in Annal. Ferdinandus Vghellius in Italia sacra, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Platina, Ioannes Stella, S. Antoninus, Iacobus Gaulterius in Tabul. Chronolog. Albertus Crantzius in sua Metropoli, & alij plures.

PRIDIE IDVS AVGVSTI.

Romæ anno Christi 1484. hora ab occasu quinta, die Veneris in Vaticano, animi dolore ob pacem à Ludouico Sfortia se inscio, & neglecto Venetis datam, & podagra extinctus est Sixtus huius nominis quartus, in ordine Pontifex decimus sextus supra ducentesimum, natione Ligur, patria *S*auonensis ex Ordine *M*ino-

rum, doctrina, & animi magnitudine omnis memoriæ Princeps, qui Turcis Italia summotis, Sedis Apostolicæ auctoritate aucta, Vrbe instaurata, eademque ornata Templis, Ponte, Foro, Vijs, Bibliotheca, celebrato Iubilæo, euulgatis octo vicibus Cardinalibus quatuor aut quinque supra triginta, Bonauentura Episcopo Albanensi inter Sanctos relato, liberale hospitium præbuit Paleologo Peloponnensi Domino, Despotæ Epiri, Reginis Cypri, ac Bossinæ, qui Turcarum armis profugi, patrijsque bonis spoliati sese omnes eò contulerunt; idem quoque officium exhibuit Cristierno Danorum Regi, idem Ferdinando; idem & Calabriæ Duci, & Saxoniæ, qui Romam pietatis studio venerant; Sacris solemnibus dies Conceptionis ac Præsentationis B. Virginis, S. Annæ, S. Ioseph & Francisci adscripsit. Catholici Regis nomen Ferdinando, & Isabellæ tribuit; Inquisitionis Officium in Hispania collocauit; primus venalia habuit Curiæ officia, quæ omnia perfecit solo annorum tredecim & dierum quatuor spatio, semper inter fulgura, terræmotus, Solis lunæque defectus, Tyberis inundationes, inter bella Italiæ, inter intestinas discordias, & perpetuam annonæ caritatem; nihil tamen quod publico decori & commoditati esse censeret, quin perficeret, vnquam omisit. Post obitum conditus in Vaticano, vacauit Sedes per dies 16.

Notæ.

Notæ. 12. Augusti.

Sixtus. *Mag. Franciscus de Ruuere ante Pontificatum dictus, non solum benigne ad se confugientes excepit; sed etiam eosdem auro subleuauit.*

Tanti Pontificis acta explicarunt Nicolaus Roccius, *Ægidius Viterbiensis, Panuinius, Henricus Spondanus in* Annal. *Hippolytus Marraccius in Pontif. Marianis, Fr. Lucas Vvadingus in* Annal. *Minorum, Vbertus Folietta in Elogijs Ligurum, Hieronymus Garimbertus, Mutius Pansa in descript. Biblioth. Vaticanæ, Ambrosius Coranus Prior generalis Eremitarum* S. Augustini, *Guillelmus Ferrerius Auditor Rotæ Romanæ in Oratione funebri, Ciaconius cum* Auctarijs, *& alij plures apud eosdem.*

XVIII. KAL. SEPTEMBRIS.

Anno Christi 768. cum per mensem vnum & dies nouem supra annum iniustè Pontificis *Romani* munus exercuisset, ac ordinasset Episcopos octo, totidemque Presbyteros, & Diaconos quatuor, Constantinus Nepesini Ducis filius, ex laico contra sacros Canones, fratrum potentia creatus Pseudopontifex, ab Vrbe à Longobardis expulsus, fugam arripuit, & incognitus reliquum vitæ inter Monachos duxit.

Notæ. 15. Augusti.

Constantinus. *de quo Baronius in Annalibus Eccles. Panuinius, Ciaconius, & alij.*

XVII. KAL. SEPTEMBRIS.

Anconæ anno post Christum natum 1464. Pontificatus sexto, minùs tribus diebus, ætatis vndesexagesimo decessit Pius II. Pontifex Maximus, in ordine decimus quartus supra ducentesimum, natione Etruscus, patria Senensis, cultor iustitiæ, & religionis, qui Catarinam Senensem inter Sanctas retulit, Pragmaticam in Gallia abrogauit, Ferdinandum Aragonium in Regnum Siciliæ cis fretum restituit, rem Ecclesiasticam pro sua parte auxit; Fodinas inuenti alumnis apud Tolpham instituit, bellum Turcis indixit, inter Cardinales quatuordecim viros alti spiritus cooptauit, Caput S. Andreæ Apostoli ad se ex Peloponneso aduectum in Vaticano collocauit; belli incendium à Piccinino in Vmbria excitatum suppressit, Mantuæ Concilium indixit, Sigismundum Malatestam censuris, & armis cohibuit, fœdus inijt cum Rege Vngariæ, Burgundiæ Duce, Venetisque pro bello Orientis, Episcopum Moguntinum non rectè de fide sentientem dignitate spoliauit, Sigismundum Austriæ Ducem, quòd Cardinalem in vincula coniecisset, anathemate damna-

uit,

uit, Ludouico Galliæ Regi de Ecclesiastica libertate detrahenti audacter restitit, Borsiumque Estensem Ducem acriter verbis castigauit, quòd rebus Galliæ & Sigismundo Malatestæ Ecclesiæ hosti faueret. Corpus ad Vrbem delatum conditum in Vaticano apud altare S. Andreæ; inde ad Ecclesiam S. Andreæ de Valle nostra ætate translatum. vacauit Sedes per sexdecim dies.

Notæ. 16. Augusti.

Pius II. *Æneas Syluius* Piccolomineus *ante Pontificatum nuncupatus, obijt teste* Panuinio 19. *Kal. Septembris, hora inter secundam & tertiam sequentis noctis, Virginalis* Assumptionis *die.*

Summis, sed debitis laudibus extollunt Pium Lilius Gregorius Gyraldus de Claris Poëtis, Io: *Baptista Egnatius in Exemplis, Hippolytus* Marraccius *in Pontif. Marianis, Ægidius* Viterbiensis, *Augustinus Patritius de ritibus Ecclesiæ, Henricus Spondanus in Annal. Eccles. Iacobus Gaddius de Script. non Eccles. Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Consistorialium, Hippolytus Donismundius in hist.* Mantuana, *Robertus Bellarminus de Script. Eccles.* Ludou. *Iacobus à* S. *Carolo in Bibliotb. Pontif.* Antonius *Sanderus in Elogijs, Antonius Campanus,* Ciaconius, *& alij in Vita.*

XVI. KAL. SEPTEMBTIS.

Romæ anno salutis humanæ 467. animam

 Deo

Deo reddidit B. Hilarus natione Sardus, patria Calaritanus, Pontifex in ordine quadragesimus septimus, qui Cyclum Paschalem curauit, Romanam Synodum conuocauit, Vrbis Basilicas ornauit, duas Bibliothecas ad Lateranum erexit, tribusque vicibus Episcopos 22. Presbyteros 25. Diaconos 6. consecrauit spatio annorum sex, Mensium trium, dierum x. quibus Rempublicam Christianam administrauit. Sepultus post obitum ad S. Laurentium iuxta corpus B. Sixti. Vacauit Romana Sedes per dies decem.

Notæ. 17. Augusti.

B. Hilarus. *Crispini filius sedit ex Baronio menses* 10. *minus duobus diebus, ex S. Antonino verò, menses tres, ex alijs Menses* 9. *ac dies duodetriginta supra annum sextum, demum ex alijs annos sex minùs vno mense, & duobus diebus, obijtque* 4. *Idus Septembris.*

De hoc meminit Martyrologium Romanum sub die 10. *Septembris, Beda, Vsuardus,* Ado, *Baronius in Notis, & in* Annal. *Panuinius,* Anastasius, *Ciaconius cum* Auctarijs, *& reliqui omnes, qui historiam Pontificiam descripserunt.*

XV. KAL. SEPTEMBRIS.

*R*omæ in Vaticano anno post Christum natum 1503. ætatis suæ circiter altero & septuagesimo,

gesimo, Pontificatus vero vndecimo, die octaua extinctus est Alexander, huius nuncupationis sextus, in ordine ducentesimus duodeuigesimus Pontifex Maximus, natione Hispanus, patria Valentinus, gente Borgia, Callisti III. nepos, qui initio Pontificatus nonnullos elegit, qui carceres assiduè adirent, inuiserentque, nouem vicibus Cardinales 45. euulgauit, Basilicæ Liberianæ tectum auro Romam ex Indijs primùm transmisso perfudit; Carolo Galliarum Regi Imperium Constantinopolitanum tribuit; Magnum Lithuaniæ Ducem ad Sanctæ Matris gremium confugientem excepit, Annum Iubilæi magni septimum celebrauit, sese vnus omnium animis accomodando cum iucundis de remissione, cum seueris de disciplina, cum Patribus de re publica ferè semper loquutus, aduersarios lenitate & patientia, Principes ferè omnes humanitate, æmulos beneficijs sibi coniunxit. Post obitum in Sacello Callisti III. patrui, conditus in Vaticano; inde anno 1610. cum ossibus eiusdem Callisti translatus ad Templum S.Mariæ de Monteserrato. Vacauit Sedes per dies duos supra mensem.

Ibidem anno 1559. ætatis 83. Mense primo, die 22. cum Ecclesiam Dei per menses duos diesque 24. supra annum quartum insigni religionis zelo restituendæ ac firmandæ disciplinæ ardore, gubernasset, decessit Paulus IV. Pontifex, in ordine ducentesimus vigesimus septimus, patria Neapolitanus, è gente Caraffa, eloquen-

tia, doctrina, innocentia, liberalitate illustris, qui scelera omnia maximè hæresis, forti pectore vindicauit, & Catholicam fidem semper sustinuit. Iudæos certa Vrbis regione circumsepsit, & vt ab alijs secernerentur, pileo eos glauco vti voluit. Vrbini Ducem Præfectum Vrbis constituit, Clericorum mores, & vestium vsus correxit, Conseruatorum iura ampliauit, Populi Romani priuilegia confirmauit & extendit. Clericos Regulares cum B. Caietano ad Ecclesiæ Romanæ ornatum, & adiumentum instituit, Purpuratorum Collegium vndeuiginti Cardinalibus auxit, Christianus Cicero, Latinus Chrysostomus vna omnium voce nuncupatus, cuius suprema morientis vox fuit, lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus. Cadauer in Vaticana Basilica conditum, à Pio V. ad Ecclesiam S. Mariæ super Mineruam translatum, e pulcherrimo marmoreo sepulchro cohonestatum fuit. Vacauit Sedes dies septem supra Menses quatuor.

Notæ. 18. Augusti.

Alexander VI. *Rodericus Borgia Lenzelius ante Pontificatum dictus, Iofredi Lenzolij Equitis, & Ioannæ Callisti III. Sororis filius.*

De Alexandro agunt Panuinius, Garimbertus, Ægidius Viterbiensis, Henricus Spondanus, Bzouius in Annal. Laurentius Surius in Commentarijs, Paulus Iouius, Platina, Hippolytus Marraccius in Ponti-

Pontificibus Marianis, Polydorus Virgilius in Anglicana, Ioannes Mariana in Hispanica, Paulus Osorius in Lusitanica, Iacobus Naldi in Florentina, Thomas Costus in Neapolitana historia, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures apud eumdem.

Paulus IV. *Io: Petrus Caraffa ante Pontificatum dictus, Diomedis Matalunæ Comitis filius, morti proximus indui vestibus pontificijs petijt, non enim decere aiebat, Principem maximè Ecclesiasticum decumbendo mori, sed victus morbi vi surgere non potuit.*

Meminere Pauli Antonius Caraccielus in Vita, Panuinius in Elogio, Ferdinandus Vghellius in Italia sacra, Hippolitus Marraccius in Pontificibus Marianis, Franciscus Robertellus, Hieronymus Maggius, Io: Baptista Castaldus, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Io: Baptista Tufus, nec non Ioseph Silos in Historia Clericorum Regularium, Ludouicus Donius Datticby in hist. Cardinalium, Bartholomæus Chioccarellus in Catalogo Antistitum Neapolitanorum, Antonius Tabo, Io: Franciscus Firmanus, & alij plures.

XIV. KAL. SEPTEMBRIS.

Romæ anno Dominicæ Natiuitatis 901. Pontificatus Mense quinto nondum completo decessit Romanus, Pontifex Maximus, in ordine centesimus decimus sextus Pontifex, patria Gallesinus, Constantini Marini fratris filius, qui

For-

Formosi acta à Stephano decessore abrogata; confirmauit. Sepultus ad S. Petrum; Vacauit Sedes diem tantum vnum.

Notæ. 19. Augusti.

Romanus. *Hunc nomine Romanum Panuinius Gallum, S. Antoninus verò Hispanum facit, cum re vera Gallesinus fuerit. Obijt ex alijs hac die anno* 897.*vel* 898.*aut* 900.*die* 23.*supra mensem quartum sui Pontificatus.*

Celebrant Romanum Guillelmus Bibliothecarius, Martinus Polonus, Ioannes de Columna, Ptolomæus Lucensis, Franciscus Petrarca, *Theodoricus à Niem, Platina, Simonetta, Ciaconius cum* Auctarijs, Auctor *Romæ subterraneæ,* Iacobus *Gaulterius in Tabula, & alij multi.*

XII. KAL. SEPTEMBRIS.

Viterbij anno post Christum natum 1276. obijt Hadrianus V. ex familia Flisca Comitum Lauaniæ, Innocentij IV. ex fratre nepos, in ordine Pontifex centesimus octogesimus octauus, patria Genuensis; ante consecrationem cum sedisset dies septem supra mensem vnum. Sepultus ibidem apud Minores; vacauit Sedes per dies 25.

Notæ. 21. Augusti.

Hadrianus. *Ottobonus Fliscus antea dictus, nulla publi-*

publica munia exercuit in Pontificatu, nam statim renuntiatus Pontifex in Vrbe, Viterbium venit, timebat Caroli Siciliæ Regis, & Senatoris potentiam, ibidem defunctus.

Est tamen huius Pontificis mentio apud Ciaconium & Auctarios, Genebrardum, Odericum, Bzouium in Annal. Foliettam in Elogijs Ligurum, Iacobum Gretserum, Ioannem Acton in Commentarijs, Ioannem Villanum, Ricordanum Malaspinam in histor. & alios plures.

XI. KAL. SEPTEMBRIS.

Romæ anno redemptionis humanæ 1241. Pontificatus 13. Mense 5. die 4. post eclypsim Solis mortuus est Gregorius IX. Pontifex in ordine centesimus octogesimus, natus Capuæ Ciuitate Campaniæ felicis ex Comitibus Signiæ, Innocentij III. nepos, constantia, animi magnitudine, & vitæ sanctitate clarissimus; iuris Ecclesiastici constantissimus assertor, cumque esset humani, diuinique iuris consultissimus, Decretalium librum disposuit; Reges Francorum, Vngariæ, Siciliæ, sub protectione Apostolicæ Sedis recepit; Cardinalium Senatum quatuordecim viris illustribus auxit; contra Hæreticos leges promulgauit, Vrbis Basilicas ornauit, Xenodochia extruxit; Sanctorum albo adiecit Virgilium Archiepiscopum Salisburgensem, Odonem Nouariensem Carthusianum, Franciscum Minorum, Dominicum Prædicatorum

rum

rum Institutores, Antonium Vlysipponensem, Patauinum cognominatum, Elisabetham Regis Vngariæ filiam, Lantgrauij Thuringiæ relictam, Synodumque in Laterano indixit. Corpus in Templo Vaticano conditum; vacauit Sedes per mensem vnum.

Anno verò 1280. eadem die apud Surianum, septimo à Viterbio lapide Vicum, cœli clementia, & aquarum amenitate celebrem, apoplexia tactus excessit è vita Nicolaus III. Pontifex in ordine centesimus nonagesimus, patria Romanus, è nobili Vrsinorum familia, cuius mortem Tiberim in immensum auctum, & Vrbem inuadentem indicasse ferunt. Hic Palatium Vaticanum angustum, & vetustate collabens amplificatum restituit; Basilicas SS. Petri & Pauli temporis iniuria deformes, & inclinantes renouauit; Canonicorum numerum in prima decennarium ad 30. amplificauit; Sancta Sanctorum dirutum refecit, contra Catharos, Patarenos, aliosque Hæreticos propagandæ fidei studiosissimus Constitutionem edidit, iussitque vt Iudæorum conuersioni; Ordinis Prædicatorum, Concionatores in Vrbe vacarent, & duorum annorum, Mensium octo, ac dierum vndetriginta spatio, quò sedit, vnica tantùm ordinatione Cardinales nouem euulgauit; Magistratus publicos, & alia ad rem publicam spectantia in meliorem formam redegit; fuit enim summi consilij Princeps, vitæ, & morum integritate plurimum laudatus, literatorum amantissimus. Corpus

pus Romam delatum in Sacello S. Nicolai ad Vaticanum erecto, tumulo marmoreo, emblematibus ornato sepelitur. vacauit Sedes per Menses sex.

Notæ. 22. Augusti.

Gregorius IX. *Hugolinus Tristenij Anagnini filius, ex Episcopo Ostiensi renuntiatus Pontifex, sedit ex alijs annos* 14. *Menses* 5. *dies* 10. *ex Platina verò menses tres supra annum* 14.

Gregorium laudant Incertus Auctor in Vaticanæ Basilicæ Tabulario, Abbas Vrspergensis, Matthæus Parisius in Angliæ, Fr. Lucas Vvadingus in Minorum, Bzouius in Ecclesiasticis Annalibus. Historiæ Mediolanenses Corij, Siciliæ Bonfilij, Genuenses Bizari, Hispanica Mariana & Gomesij, Bononiensis, Ghirardaccij; præterea Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui omnes, qui de Romanis Pontificibus scripserunt.

Nicolaus III. *Ioannes Vrsinus ante Pontificatum dictus, Matthæi filius, cui infantulo Pontificatum prædixerat Franciscus Asissius Minorum Institutor, quem alij defunctum volunt die sequenti.*

Meminere Nicolai præter Ciaconium, & alios de Romanis Pontificibus Scriptores, Fr. Lucas Vvadingus in Annal. Minoriticis, Odericus, nec non Bzouius in Eccles. Ægidius Viterbiensis in hist. 20. secul. Genebrardus, Bernardus in Chronico, S. Antoninus, Romæ subterraneæ Auctor, & alij plures.

IX. KAL.

IX. KAL. SEPTEMBRIS.

*R*omæ anno Dominicæ Natiuitatis 1165. fistuloso cancro percussus infelicem spiritum in schismate exhalauit Guido Cremensis, qui Friderici Imperatoris præsidio fretus, Basilicam Vaticanam, & Cathedram D.Petri contra Alexandrum III. sub nominis Paschalis III. occupauerat, & per annos circiter quinque in ea sederat. conditus post obitum in eadem Basilica.

Notæ. 24. Augusti.

Guido Cremensis. *successit Victori IV. Pseudopontifici.*

De illo Ciaconius, *Baronius in Annal. Panuinius, qui Callisti III. nomen illi tribuit.*

VIII. KAL. SEPTEMBRIS.

Anno Dominicæ Incarnationis 996. Pontificatus mense tertio, dieque sexto in Laterano extinctus est Ioannes huius nuncupationis decimus sextus, in ordine Pontifex quadragesimus secundus supra centesimum, patria *R*omanus, vir multæ doctrinæ, & seditionibus maximè agitatus opera Crescentij Consulis Romani. sepultus apud S.Petrum, vacauit Sedes per dies sex.

Auenione anno 1330.Petrus Reinalutius, seu *R*aynalduccius Italus de Vico Corbario, natione

ne Aprutinus, professione Minorita, à Ludouico Bauaro Romæ contra Ioannem XXI. dictum XXII. renuntiatus Pseudopontifex, post annos duos, menses tres, & dies 12. suum detestans errorem, sponte coram ipso Ioanne Pontifice vestes cum dignitate deposuit.

Notæ. 25. Augusti.

Ioannes XVI. *Roberti filius, cum sedisset ex alijs menses quatuor obijt 5. Idus Iunij anno 995. Othone Imperatore in Vrbe existente. Confundit Ioannem hunc cum XV. Ioannes Stella, dum huic annos XI. in Pontificatu tribuit.*

Est nostri Ioannis mentio apud S. Antoninum, Panuinium, Platinam, Ciaconium; eiusdemque Auctarios, Iacobum Gaulterium in Tabul. Chronol. & alios omnes, qui de Romanis Pontificibus tractarunt.

Petrus. *abdicauit ex alijs post annos tres, totidem menses, ac dies 14.*

De hoc agunt Odoricus de Foroiulio in Chronico, Fr. Lucas Vvadingus in Annal. Minorum, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

VII. KAL. SEPTEMBRIS.

Romæ memoria S. Zephyrini Papæ & Martyris post S. Petrum decimi sexti Pontificis patria Romani, qui sedit in Throno Pontificio L. Septimio Seuero, Antonino Caracalla, Macrino, Diadumeno & Antonino Heliogabalo Imperatoribus

ribus Augustis; annos duodeuiginti, totidemque dies, & ordinationibus quatuor Episcopos XIII. totidem Presbyteros, & Diaconos septem consecrauit; multaque ad Ecclesiæ vtilitatem & ornamentum decreuit, videlicet vt adstantibus laicis, & Clericis Sacerdos Ordines sacros susciperet, vt diuinus sanguis non in ligneo, sed in vitreo calice consecraretur, vt Christiani omnes puberes quotannis publicè Eucharistiam sumerent, neue Episcopus à Superiori aliquo in iudicium vocatus, auctoritate Apostolica non prius interposita, damnaretur, vtque Episcopo celebranti Presbyteri omnes adessent. Sepultus via Appia in Cœmeterio à se constructo iuxta Catacumbas, & Zephyrini de suo nomine in præsentem vsque diem nuncupatur. ex quò ad Titulum Tigridis delatus. Vacat Sedes per dies sex.

Notæ. 26. Augusti.

Zephyrini. *Abundij filius moderatus est Rempublicam Christianam secundùm Damasum, annos octo, cuius corporis partes venerantur Fideles in Vaticano, & apud S. Siluestrum de Capite.*

Martyrio *sublatum volunt* Martyrologia *Romanum, Beda, Vsuardi, Adonis, Baronius in Notis, & in Annal. Franciscus* Maria *Torrigius in descript. Ecclesiæ S. Siluestri de Capite, Eusebius in Chronico, Optatus, Augustinus, Nicephori ambo, Callistus, & Episcopus, Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui Scriptores de Romanis Pontificibus.*

VI. KAL.

VI. KAL. SEPTEMBRIS.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1181. Romæ in Lateranensi Palatio, sui Pontificatus 21. mense xi. die xiii. mortuus est Alexander III. in ordine centesimus septuagesimus secundus Pontifex Maximus, natione Etruscus, nobili Bandinella gente Senis natus, cuius opera Soldanus Iconij sacro baptismate initiatus, Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, Bernardus Abbas Claræuallis, Helena Visigota Vidua, Canutus Daniæ, Odoardus Angliæ Reges Sanctis adscripti, Romæ Synodus Oecumenica Episcoporum 300. celebrata, Militia Calatrauæ in Hispania sub Regula S. Benedicti cum insigni Crucis rubeæ confirmata, Federicus Cæsar Fidelium communioni restitutus, Alexandria Ciuitas Longobardiæ extructa, & quinquaginta lectissimi viri Cardinalium Senatui adiuncti sunt; vir acer in primis, & in suscepta Ecclesiæ defensione constans, in inimicitijs Federici, quas non tam moderatè exercuit, quàm fortiter superauit, virtutis, memoriæque insignis, multa ad Clerum pertinentia legibus correxit, vetuitque anathematis pœna proposita, ne quis ferrum, ligna, cœteraque armamenta ad Infideles comportaret. Corpus in Basilica Saluatoris, Constantiniana appellata marmoreo pilo sepultum est. Vacauit Sedes tantùm biduo.

Anno verò 1590. Pontificatûs 5. mense 4. die 3. in Palatio Pontificio, quod est in Quirinali, re-

bus humanis excessit Sixtus huius nominis V. in ordine ducentesimus trigesimus primus Pontifex, natione Italus, patria Picenus, professione Religiosus Minorum Conuentualium, qui B. Didacum Hispanum sui Ordinis, ac Odoardum Regem Anglicum in Sanctorum numerum retulit, Italiam prædonibus purgauit, Vrbem fabricis, Obeliscis, Columnis ornauit, aquisque retreauit, Pauperibus ædes extruxit, Bibliothecam Vaticanam ædificauit, Monti Pietatis propriam sedem suo aere statuit, lanariam & fulloniam artem paupertatis subleuandæ gratia in Vrbem induxit, sacram purpuram tribus supra triginta præstantissimis viris tribuit; Montaltum patriam splendidiorem reddidit, & Ciuitatem dixit, eodemque nomine Lauretum appellauit; Quinquagies centena millia aureorum, magnum se facinus aggressurum prædicans, congessit, fuit quidem integris, incorruptisque moribus, excelsa vi animi, interritus & seuerus, adeò vt eum non tam priuati, quàm Principes & colerent, & vererentur. Post obitum corpus conditum in Vaticano, inde post annum ad Basilicam Liberianam deductum, in pernobili sepulchro, quod sibi viuens erexerat cum Sacello Præsepis, repositum. Vacauit Sedes per dies decem & nouem.

Notæ. 27. Augusti.

Alexander III. *Rolandus Rainutij filius sedit ex Codice Vaticano annos duodeuiginti, obijt-*

que XII. *Kal. Octobris, vel Kal. Septembris.*

De Alexandro tractarunt S. Bernardus in Epistolis, Ioannes Trithemius, Rogerius Anglus, Radeuicus, Matthæus Paris, Lucas Tudensis, Ludouicus Coquæus in Antimornæo, *Guillelmus Tyriensis de bello sacro, Guntherus* Poëta *de gestis Friderici, Robertus in Appendice ad Sigebertum, Chunradus* Episcopus *in Chronico Moguntino,* Ioannes *Saresberiensis, Romualdus Archiepiscopus Salernitanus in hist. Angelus Manriquez in* Annal. *Cisterciensium, Andreas Saussay de mysticis Galliæ Scriptoribus, Genebrardus, S. Antoninus, Ciaconius cum Auctarijs, alijque omnes, qui de Romanis* Pontificibus *scripserunt.*

Sixtus V. *Felix Perettus Cardinalis de Montalto, antequam Pontificium solium ascenderet, nuncupatus.*

Huius Pontificis *acta explicarunt Lælius* Peregrinus *in Oratione funebri,* Io: *Baptista Sulla in Carmine, Fuluius Cardulus, Angelus Bargæus, Aurelius Vrsus, Angelus Rorca, Franciscus Bordinus, Antonius Querengus, Baldus Cataneus, Cæsar* Cardinalis *Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum,* Michaël *Mercatus de Columna Cochlide, Lud.* Iacobus *à* S. Carolo *in Biblioth.* Pontif. *Dominicus Fontana de translatione Obelisci Vaticani, Franciscus Bencius de Sacello Esquilinico, Franciscus Panigarola de Stationibus Vrbis à Sixto V. institutis, Franciscus Suaresius in Panegyrica oratione, Ioannes* Rhò *in Exemplis, Actuarij Ciaconij, & alij multi.*

IV. KAL. SEPTEMBRIS.

Anno Dominicæ Incarnationis 1178. Ioannes Struma, à suis dictus Callistus III. natione Vngarus, post annos septem, menses quinque, & dies aliquot apud Tusculum, coram Alexandro III. Pontifice & Cardinalibus schisma abiurando in vniuersalem Ecclesiæ Præsulem Alexandrum ipsu m genuflexus veneratus est; quem Pontifex benignissimè recepit, dicens, frater gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente; quòd suggestione diabolica vnitatem Ecclesiæ discindere voluisti, multum doluimus, & quòd inspirante Domino ad eius vnitatem redire voluisti, plurimùm gaudemus. Romana Ecclesia, quæ iuxta Iesu Christi mysterium inimicos diligere consueuit, te hodie pœnitentem in filium recepit, & pro malis bona tibi retribuere procurabit. Vixit deinde Archiepiscopus Beneuentanus.

Notæ. 29. Augusti.

Ioannes. *ex Monacho, & Abbate Stumensi à Victore* IV. *Pseudopontifice creatus Episcopus* Albanus, *seu Tusculanus*.

De hoc plura Romualdus Archiepiscopus *Salernitanus in sua hist. Ferdinandus Vghellius in Italia sacra, Baronius in Annal.* Panuinius, *Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures*.

SEPTEM-

SEPTEMBER.

KALENDIS SEPTEMBRIS.

A Nagniæ anno Dominicæ Natiuitatis 1159. Hadrianus IV. Pontifex, in ordine centesimus septuagesimus primus, natione Anglus, anginæ morbo correptus obijt, cum per annum vnum, & ferè quinque Menses Pontificatum sanctissimè administrasset. hic Arnoldum hæreticum Vrbem turbantem damnauit; Guillelmum Siciliæ Regem ditionem Ecclesiasticam vexantem à fidelium communione disiunxit; Federicum Cæsarem in Vaticano coronauit; B. Petri Patrimonium magnis prædijs & redditibus auxit; Famianum Coloniensem Ordinis Cisterciensis Monachum in Sanctorum, & 25. Viros doctrina, & virtutibus claros in Cardinalium numerum retulit; ab Vrbe à Romanis eiectus, per Italiam errauit, Ecclesiæ Catholicæ semper intentus, posteris admirandum relinquens exemplum, quòd nec obolum quidem erogauerit in propinquos, adeò vt nec Matri aliquid impendit, sed illam reliquit alendam eleemosynis Cantuariensis Ecclesiæ. Corpus Romam delatum, conditum in Vaticano. Vacauit post huius obitum Romana Sedes per dies tres.

Notæ. 1. Septembris.

Hadrianus IV. *Nicolaus Episcopus Albanensis*

ante Pontificatum dictus; in familiari colloquio fassus est, per omnes gradus ad Summum Pontificatum ascendisse, sed nihil vmquam felicitatis, aut tranquillitatis expertum, ac desiderio pristinæ suæ conditionis teneri, quare neminem Romano Pontifice miserabiliorem in Terris inueniri affirmabat.

De Hadriano IV. tractant Nicolaus Neubrigensis Anglus historicus, Otho Saresberiensis; Otho alius, & Radeuicus Frinsingenses, Dodechenius, nec non Baronius in Annal. Vvillelmus Tyrius, Ioannes Pitsæus de Script. Angliæ, Matthaus Paris. in hist. Henricus Ludouicus Rupipozæus in Nomenclatore Cardinalium, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij quàm plures, qui historiam Pontificiam descripserunt.

IV. NONAS SEPTEMBRIS.

In Mole Adriani apud Vrbem anno post partum Virginis 1101. cum sedisset Pseudopontifex per menses aliquot supra annum vigesimum primum extinctus est Gibertus de Corrigia, à suis vocatus Clemens III. humili loco natus, vir tamen eloquens, & satis pro temporum conditione literatus, Henrici IV. Imperatoris olim Cancellarius, & Archiepiscopus Rauennas ab Alexandro II. euulgatus, in cuius Cathedrali corpus sepultum.

Notæ. 2. Septembris.

Gibertus. *seu Guibertus Parmensis sedit contra Gregorium* VII, *Victorem* III. *Vrbanum II. & Paschalem II. Romanos Pontifices.*

De illo Domnizo in Epitaph. Baronius in Annal. Panuinius, Ciaconius, *& alij apud eosdem.*

VIII. IDVS SEPTEMBRIS.

Romæ anno salutis humanæ 972. Pontificatus sexto, mense vndecimo, die 5. extinctus est Ioannes huius nominis XIII. in ordine Pontifex centesimus trigesimus quintus, patria Romanus, qui seditiosorum opera ab Vrbe expulsus, Pandulphi Capuani Comitis armis post decem menses Romam repetijt, quare vt gratias Principibus illis debitas referret, Capuam Metropolim constituit; ab Othone Magno Rauennam cum recepisset, cumque Otho filius Theophaniam sororem Græci Imperatoris duxisset, eam Ioannes vnà cum Viro, ex sententia Othonis Magni parentis, Occidentis imperio, & corona donauit. Post obitum sepultus in Basilica S. Pauli Via Ostiensi. Vacauit Sedes per dies 13.

Notæ. 6. Septembris.

Ioannes XIII. *Sergius ante Pontificatum nuncupatus, Episcopus Narniensis, Ioannis Episco-*

pi ex legitimo matrimonio filius.

Ab Vrbe eiectus, Vrbis Praefecti, Consulum, ac Tribuni plebis opera, confugit ad Pandulphum Principem Capuanum, qui illum Vrbi restituit, Consulibus Italia pulsis, Tribuno suspendio extincto, & Petro Praefecto carcere primò, deinde exilio mulctato.

De hoc Pontifice tractant Chronicon Benedictinum, Historia Longobardorum, Michaël Monachus in Sanctuario Capuano, S. Antoninus, Iacobus Gaulterius in Tabul. Chron. Ferdinandus Vghellius in Italia sacra, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

VII. IDVS SEPTEMBRIS.

Anno Domini 686. Petrus Archidiaconus à Romanis nonnullis post Ioannis V. Pontificis obitum renuntiatus Pseudopontifex, post longam altercationem ab ipsis Electoribus derelictus, è Throno descendit.

Notae. 7. Septembris.

Petrus. *contra Theodorum electus.*

Meminere Petri omnes, qui de Conone Pontifice tractarunt, cum Ciaconio, & Panuinio.

VI. IDVS SEPTEMBRIS.

Anno à partu Virginis 897. Romae obijt Theo-

Theodorus iunior, seu secundus Pontifex, in ordine centesimus decimus septimus, vigesimo à sua creatione die, patria Romanus, qui Formosi partes suscepit, & Stephani sectatores prosequutus est. Sepultus ad S. Petrum. Vacauit Sedes per diem tantùm vnum.

Notæ. 8. Septembris.

Theodorus. *Photij filius.*

Huius Pontificis acta inuenies apud S. *Antoninum*, *Panuinium*, *Platinam*, *Ciatonium*, *aliosque Pontificios Scriptores*.

V. IDVS SEPTEMBRIS,

Romæ anno 701, post Christum natum, Pontificatus 13. Mense 8. die 23, ad Superos euolauit Sergius sanctitate clarus, & inter Sanctos relatus, patria Antiochenus, natione Syrus, Pontifex in ordine octogesimus quintus, qui Ceduallam Occidentalium Saxonum Regem sacris abluit aquis, & defunctum cum honore tumulo in Vaticano tradidit; puerique nouendialis testimonio à calumnijs liberatus, consecrauit duabus Ordinationibus Episcopos 96. Presbyteros 18. & Diaconos 4. Vrbis Ecclesias plures multis locis labefactatas restituit, adiecit Missæ, *Agnus Dei* idque ter germinari instituit. Collacrymantibus omnibus præ dolore ob amissum Pontificem communem omnium paren-

rentem, sepelitur in Vaticano. Vacauit Sedes per dies 20. supra mensem vnum.

Notæ. 9. Septembris.

Sergius. *Tiberij Mercatoris filius, natus Panormi in Sicilia, Romæ educatus, professione Monachus, obijt ex alijs pridie huius diei.*

Huius Pontificis *res gestas descripserunt Baronius in Annal. & in Notis, Beda, Vsuardus, Ado, Platina, Panuinius, Anastasius, Genebrardus, Sabellicus Ennead.* 8, *lib.* 6, *Ciaconius cum Auctarijs, & alij omnes, qui* Pontificiam *historiam, composuerunt.*

PRIDIE IDVS SEPTEMBRIS.

Auenione anno à partu Virginis 1362. Pontificatus nono, mense octauo die 23. multis animi perturbationibus afflictatus, extinctus est Innocentius VI. in ordine ducentesimus primus Pontifex, natione Gallus, mediocri genere natus, optimæ, honestissimæque vitæ, & non mediocris eruditionis fama conspicuus, diuini, humanique iuris consultissimus, qui Aulæ vitia, & laxiorem Curialium vitam correxit; beneficia Ecclesiastica nonnisi probatissimis Sacerdotibus contulit; Prælatos, quibus animarum cura incumbebat, ad proprias Ecclesias remisit; domesticos sumptus diminuit; apud se nisi probatissimos viros voluit; Sacri Palatij Auditori-

bus

bus menstrua salaria constituit, Carolum IV. Cæsarem imperiali diademate per legatos, & sexdecim præstantissimos viros sacra purpura ornauit. Ægidium Albernotium Cardinalem in Italiam legauit, qui afflictis rebus magno & præsidio, & adiumento fuit. Corpus tumulo traditum in Cathedrali Aucnionensi, inde ad Monasterium Carthusianorum translatum est. Vacauit Romana Sedes per dies 26. supra mensum vnum.

Notæ. 12. Septembris.

Innocentius VI. *Stephanus Alberti filius ante Pontificatum nuncupatus, sedit teste Panuinio dies 26. ex Platina verò, atque Genebrardo dies sex supra nouennium, & mensem octauum, obijtque ex alijs pridie huius diei.*

Debitis laudibus Innocentium exornant Auctores Galliæ Christianæ, & purpuratæ, Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, Genebrardus, Odoricus, Bzouius in Annal. Eccles. Hieronymus Garimbertus, Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui Romanorum Pontificum Scriptores.

XVIII. KAL. OCTOBRIS.

Romæ via Appia Martyrium B. Cornelij Papæ, in ordine vigesimi secundi patria Romani, qui in persecutione Galli, & Volusiani anno Christi 256. Sedis secundo, Mense quarto, die octa-

octaua, post exilij relegationem plumbatis cæsus, & cum alijs viginti & vno promiscui sexus decollatus est, ordinatis Episcopis octo, & Diaconis quatuor. Corpus à B.Lucina in arenario repositum, inde ad Sanctam Mariam Transtyberim translatum. Gallia habet illius partem, Caroli Calui Imperatoris dono. hoc tempore primùm in Ecclesia schismate laboratum est: Nouatianus enim quidam Romanæ Ecclesiæ Presbyter leui ambitione ductus, Nouato Presbytero auctore Pontificatum contra Cornelium assumpsit. Vacauit Sedes per dies 5. supra mensem vnum.

Notæ. 14.Septembris.

B. Cornelij. *Cassini filius.*

Damasus supra duos annos sedisse Cornelium in Petri Cathedra scribit, & martyrio coronatum sub Decio.

Panuinius supra duos annos menses aliquot in Sede tribuit.

Eusebius tertium annum in ea compleuisse affirmat.

Ludouicus Iacobus à S.Carolo annum vnum, menses quinque, dies 14. eidem dat.

Huius Pontificis caput venerantur Fideles Papiæ.

De S. Cornelio Martyrologia Romanum, Bedæ, Vsuardi, & Adonis, Baronius in Notis, & in Annalibus, Eusebius in Chronico & in historia,

ria, *Optatus*, *Augustinus*, *Nicephorus*, *Genebrardus*, *Bellarminus*, *Gretserus*, *S. Hieronymus*, *Platina*, *Panuinius*, *Ciaconius cum Auctarijs*, *alijque plures*.

XVII. KAL. OCTOBRIS.

Anno post Christum natum 262. Romæ extinctus est Nouatianus, primus in Ecclesia Catholica Antipapa, qui sedit contra Cornelium, eiusque successores, annos circiter sex, Ecclesiam Romanam turpi schismate scindendo, & Cathedram contra Cathedram erigendo.

Notæ. 15. Septembris.

Nouatianus. *fuit Nouati hæretici sectator.*

De hoc agunt S. Hieronymus de Script. Eccles. Baronius, Ciaconius, & alij apud eosdem.

XVI. KAL. OCTOBRIS.

In Monte Cassino anno salutis humanæ 1087. Pontificatus mense quarto supra annum primum, dysenteriæ morbo extinctus est Victor huius nominis III. in ordine Pontifex centesimus sexagesimus, Beneuentani Principis filius, Monachus S. Benedicti, vir tantæ Sedis dignissimus, quia summo studio illam fugitauit. interfuit Synodo Beneuentanæ, quam indixerat; Henricum IV. Cæsarem sibi infensum habuit,

cuius

cuius fraude, vt putant, veneno sublatus est. Corpus in Capitulo eiusdem Cœnobij sepultum. Vacauit Sedes menses quinque, & dies 22.

Anno vero 1394. Auenione obijt Clemens dictus VII. Antipapa, natione Gallus, ex Comitibus Gebennensibus natus, qui per annos 16. Menses 11. dies 29. contra Vrbanum VI. & Bonifacium IX. legitimos Pontifices, in Cathedram Petri intrusus, Rempublicam Christianam perturbauit, euulgatis octo supra triginta Cardinalibus suæ obedientiæ. Sepultus ibidem in Ecclesia Cœlestinorum ad Pontem Sorgiæ.

Notæ. 16. Septembris.

Victor III. *in seculo Dauferius, in Monachatu Desiderius nuncupatus, ipso renitente electus, Roma egressus, Ardeam & Terracinam adijt, ibique Pontificem esse nolle professus, Crucem, Clamydem, & cætera Pontificia ornamenta deposuit; Cleri tamen precibus, & Principum maximorum eadem denuò inuitus asumpsit, ac sedit ex Ioanne de Columna, S. Antonino & alijs menses tantum quatuor.*

Victoris III. vitam, & res gestas diligentissimè explicarunt Leo Marsicanus Episcopus, Card. Ostiensis in hist. Cassinensi, Otho Frisingensis, Petrus Diaconus de Viris Sanctis, & de Scriptoribus Montis Cassini, Arnoldus Vuion in Ligno vitæ, Baronius in Annal. Genebrardus in Chronico, Sigonius de Regno Italiæ, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius,

nius, *Platina*, & *alij plures*.

Clemens. *Robertus dictus in Prouincia Gallica Arelatensi summo genere natus, coronatus ante fores Matris Ecclesiæ Fundanæ, multis Proceribus adstantibus; sedit ex alijs Menses* 11. *dies* 28. *supra annum decimum quintum*.

Meminere Clementis Auctor Galliæ purpuratæ, & Christianæ, Ciaconius eiusdemque Auctarij, Panuinius, Henricus Spondanus in Annal. Theodoricus Niemus, Harpsfeldius in hist. Anglicana, & alij quamplures.

XI. KAL. OCTOBRIS.

Romæ anno post Christum natum 687. Pontificatus sui mense vndecimo mortuus est Conon natione Thrax, in ordine Pontifex octogesimus quartus, ob modestiæ, sinceritatis, iustitiæ, pietatis laudem tanto munere dignissimus; forma decorus, & canitie venerandus, in quo præter alias egregias animi dotes, scientia rerum ac verborum, iustitia singularis, prudentiaque sine dubio humana maior elucebat; qui non tantùm quòd Pontifex fuerit, sed quòd benè atque integrè in Episcopatu vixerit, laudandus est. Sepultus ad S. Petrum. Vacauit Sedes dies tredecim supra bimestre.

Notæ. 21. Septembris.

Conon. *Benedicti filius*, *patria Tomitanus*, *quem*

quem S. Antoninus Siculum facit, sedit supra mensem vndecimum ex Panuinio dies tres, ex Baronio verò vndecim.

Est Cononis mentio apud Anastasium Biblioth. Ciaconium, eiusque Auctarios, Bonifatium Simonettam, Baptistam Platinam, Niemum, Petrarcam, Ptolomæum Lucensem, Io: de Columna, *Martinum Polonum, & alios.*

IX. KAL. OCTOBRIS.

Romæ anno Domini 79. memoria S. Lini Papæ, & Martyris, natione Itali, patria Volaterrani, qui primus post B. Petrum Apostolum, Romanam Ecclesiam per menses duos & dies 23. supra annum vndecimum sanctissimè rexit, quique Mulieres ab aditu Ecclesiæ prohibuit, nisi velato capite incederent, sacris ordinibus bis in Vrbe celebratis Presbyteros duos deuiginti, Episcopos verò vndecim creauit. cuius corpus in Vaticano iuxta B.Petrum sepultum, qua in Basilica, nostra hac ætate Fideles illud venerantur.

Ibidem eadem die anno 899. mortuus est Ioannes IX. natione Italus, patria Tiburtinus, ex Monacho S. Benedicti Pontifex, in ordine duodeuigesimus supra centesimum, qui Formosi sectator, contra Stephanum, ad Formosi acta comprobanda Conuentum Rauennatensem celebrauit, ac sedit dies quatuor supra biennium, semper in dissidijs & seditionibus.

Sepul-

Sepulchrum habuit in Vaticano; Vacauit Sedes per diem tantùm vnum.

Notæ. 23. Septembris.

S. Lini. *Herculani filius, ab vltimo Neronis anno vsque ad Vespasiani tempora ex Raphaële Volaterano Ecclesiam moderatus est.*

Meminere Lini S. Paulus Apostolus epist. 2. *ad* Timotheum, *Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annal. Iræneus, Eusebius in Chronico, & in hist. Optatus, Epiphanius, Hieroymus, Bellarminus de Script. Eccles. Augustinus Epist.* 165. *Nicephorus vterque in Chronico, & in hist. Gregorius Turonensis in hist. Ciaconius, & reliqui omnes, qui scripserunt de Romanis Pontificibus.*

Ioannes IX. *Rampoaldi filius, obijt ex alijs Rauennæ anno* 905. *cum sedisset annos tres, & dies quindecim.*

De hoc tractant Leo Ostiensis in Chronico, S. Antoninus, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Platina, & reliqui aliàs laudati de Romanis Pontificibus Scriptores.

VIII. KAL. OCTOBRIS.

Anno salutis humanæ 367. Romæ ad Superos euolauit Liberius huius nominis primus, in ordine Pontifex trigesimus septimus, patria Romanus, sanctitate clarus, qui impensis Ioannis Patritij Basilicam in Esquilino ædificauit ad

honorem Virginis Mariæ; marmoreis tabulis sepulchrum S.Agnetis, nec non Ecclesiam totam strauit, ornauitque; Marcellinæ Virgini Romanæ, S.Ambrosij Sorori velum dedit; Constantij Cæsaris minas non timens, pro Athanasio stetit, quam ob rem in exilium missus, Berhoëam Thraciæ Vrbem per triennium incoluit. Ecclesiæ tamen iura forti pectore sustinuit per menses quatuor, diesque 27. supra annos quindecim, quo tempore Episcopos XIX. Presbyteros XVIII. Diaconos quinque consecrauit. Sepultus via Salaria in Cœmeterio Priscillæ. Vacauit Sedes per Menses 4.& dies 6.seu 17.

Eadem die, eademque in Vrbe apud Lateranum anno 1143. Pontificatus 13. Mense 7. die 8. septuagenario maior, optimè de Ecclesia meritus obijt Innocentius II. in ordine Pontifex centesimus sexagesimus sextus, nobilis Romanus, qui Hugonem Episcopum Gratianopolitanum inter Cælites retulit; Abailardum, & Arnaldum de Brixia damnauit, Concilium Lateranense mille circiter Episcoporum, nec non Claromontense, Leodiense, ac Pisanum celebrauit; Cardinalium Collegium 59. selectissimis viris auxit, Genuam Archiepiscopo donauit; Lotharium Germanorum Regem Imperij corona donauit, & contra Anacletum Pseudopontificem stetit. Corpus in Laterano conditum, inde ad Titulum Callisti translatum. Vacauit Sedes per diem vnum.

Anno verò 1523. Ibidem, Pontificatus secun-

do,

do, ætatis 64. è viuis abiuit Hadrianus VI. Pontifex in ordine ducentesimus vigesimus secundus, Traiecti inferioris Germaniæ Vrbe natus, doctrina præditus singulari, vitæque innocentia illustris, qui Lutheranismum profligare conatus, ad Principes legatos direxit; Ecclesiasticorum moribus corrigendis incubuit; Antoninum Florentinum, ac Benonem Misnensem Præsules in Sanctorum Cœtum cooptauit. Sigismundo Malatestæ bellum intulit, Ariminoque expulit. iam morti proximus in lecto decumbens, Cardinalem vnum euulgauit. huius cadauer conditum in Vaticano, inde ad Ecclesiam S.Mariæ de Anima translatum. Vacauit Sedes post eius obitum per dies 24. supra mensem.

Notæ. 24. Septembris.

Liberius. *Augusti filius, sedit teste* Anastasio *annos* x. *Menses* 7. *dies* 4. *ex* Panuinio *verò annos* 16. *Menses* 5. *dies* 16. *ex alijs diem vnum, vel* 17. *supra annum* 15. *&* Mensem *quartum, excessitque* v. *Idus* Septembris *ex Baronio, ex Beda* x. *Kal. Octobris*.

Laudatur Liberius à S. *Ambrosio, à S.Basilio, nec non à S. Athanasio, ab Alberto Pighio, à Sandero, Bellarmino, Stanislao Hosio, à* Beda, *Ciaconio, eidsdemque* Auctarijs, *ac reliquis omnibus, qui Romanorum* Pontificum *historiam elucubrarunt.*

Innocentius II. *Ioannis, seu Guidonis filius, Gregorius ante Pontificatum nuncupatus ex nobili fa-*

milia Guidonia, deinde de Papa, seu Paparefchis, demum Mattheia *dicta, cuulgauit ex Ciaconio* 53. *ex* Panuinio *verò* 47.Cardinales, *ac sedit teste Ioanne Stella Menses* 8. *totidemque dies supra annos vndeuiginti.*

De Innocentio *tractant S. Bernardus Abbas Clareuallis in Epist. Bernardus Bonaeuallis in* Vita *S. Bernardi, Otho Frisigensis*, Pandulphus Pisanus *in Vita Gelasij II. Baronius in Annal. Eccles.* Petrus *Diaconus in Chronico* Cassinensi, Romanus Canoni*cus in descript. Basilica Vaticanæ, Platina & alij apud eosdem.*

Hadrianus VI. *ante Pontificatum Hadrianus Florentij dictus, sedit annum* 1.Menses 8.dies 3.*vel* 6.

Vitam huius Pontificis vbertim Panuinius, *vberrimè* Iouius, Ciaconius *cum Auctarijs*, *Caius Butius*, *G erardus* Moringus, *Maximilianus* Vrientius, Ludouicus Caruaial *literarum monumentis consignarunt.*

De illo Bellintanus Franciscanus, Io: *Antonius Flaminius, Hieronymus Niger, Conradus Vigerius in* Epist. *Genebrardus*, Io: Pierius Valerianus *in Hieroglyphicis*, *Franciscus Suuertius in Athenis* Belgicis, *Henricus* Spondanus, *Odericus in* Annal. *Eccles.* Openeerus *Amstelrodamus*, Papirius *Massonius, Felix Contelorius in Elencho, Ludou. Iacobus à S. Carolo in Biblioth.* Pontif. *Antonius Sanderus in Elogijs*, *Andreas Iacobatius, Io: Iacobus* Boyssardus, *Ludouicus Guicciardinus in hist. Petrus Messia in Vita* Carcli V. *Hippolytus Marraccius in Bibliotheca* Mariana, *alijque quàm plures.*

VILKAL.

VII. KAL. OCTOBRIS.

Anno Christi 1534. Pontificatus x. mense item x. dieque septima Romæ mortuus est Clemens VII. Pontifex in ordine ducentesimus vigesimus tertius, patria Florentinus, Leonis X. frater patruelis, ex familia Medicea, qui Ordines religiosos Clericorum Regularium, & Capuccinorum confirmauit, Iubilæum annum celebrauit, Vrbis excidium à Militibus Borbonij, & à Tyberis inundatione factum non sine lacrymis vidit, à Dauide Æthiopiæ Rege literas obedientiæ græcè scriptas recepit, Moscorum Principis, nec non duorum Procerum Indorum Oratores ad pedes admisit, Carolum V. Imperiali corona Bononiæ ornauit, Laurentium Iustinianum primum Patriarcham Venetum inter Beatos, multorumque sententia Antoninum Archiepiscopum Florentinum inter Sanctos retulit quique in fastigio licèt supremo collocatus multarum rerum veniam omnibus dedit, nullius petijt. Lutheri heresim voce & scriptis impugnauit, & præcipuo quodam cultu Deiparam Matrem toto vitæ suæ tempore coluit, Cardinalium verò Senatum 35. selectissimis viris auxit. Cadauer primùm in Vaticano sepultum, postea cum Leonis X. cineribus ad S. Mariæ super Mineruam Templum translatum. Vacauit Sedes per dies 17.

Notæ. 25. Septembris.

Clemens VII. *Iulius ante Pontificatum dictus, Iuliani Medicei filius, obijt teste* Cabrera *pridie, ex alijs postridie huius diei.*

Celebrant Clementem præter Auctarios Ciaconij, aliosque qui de Romanis Pontificibus *scripserunt, Laurentius Granius in Oratione funebri, Ioannes Longiacus in Panegyrico, Hippolytus Marracius in Pontificibus Marianis,* Iacobus *Sannazarius, Balthassar Castilioneus, Bernardus Bibiena Cardinalis,* Petrus *Aretinus, Io: Antonius Flaminius in Epist. Henricus Spondanus in Annal. Cæsar Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, Genebrardus, & alij multi.*

VI. KAL. OCTOBRIS.

Anno Domini 312. Pontificatus post primum, mense 7. die 21. sanctitate clarus excessit è vita Eusebius huius nuncupationis primus, in ordine trigesimus secundus Pontifex, natione Græcus, qui Donatistas aliquos pœnitentes per solam manuum impositionem Ecclesiæ Catholicæ reconciliauit; Restitutæ nobilissimæ fœminæ filium sacro fonte abluit, suoque nomine Eusebium dixit, vetuit, Episcopum à laicis in iudicium vocari, vnica verò Ordinatione Episcopos 14. Presbyteros 13. Diaconos tres sacro perunxit oleo. Post obitum sepultus in Vaticano, seu in

Cœme-

Cœmeterio Callisti. Nostra hac ætate huius Sancti corpus custoditur in Ecclesia S. Sebastiani extra muros. Vacauit Sedes per dies 7.

Notæ. 26. Septembris.

Eusebius. *Patre Medico sedit ex Commentario de Rom.* Pontificibus, *Damaso falsò adscripto, Annos 6. Mensem* 1. *dies 3. ex Chronico Eusebij Menses 7. ex alijs Menses 7. & dies 16. supra annos duos. ex Indice verò Cresconiano annos duos, menses 8. dies 28. Tandem teste Baronio Mensem vnum & dies 25. supra biennium.*

Martyrem illum faciunt sub Constantino, vel Maxentio Petrus *de Natalibus, & Galesinus; Confessorem dicunt* Martyrologium *Romanum, Ado, Optatus, Augustinus epist.* 165. *Nicephorus Episcopus in Chronico,* Ciaconius *cum suis Auctarijs, & alij.*

V. KAL. OCTOBRIS.

Romæ anno à partu Virginis 1590. post duodecimum à sua creatione diem, antequam pontificijs insignibus coronaretur, in Vaticano Palatio de vita migrauit Vrbanus VII. Pontifex in ordine ducentesimus quartus, patria *Romanus*, Genua oriundus, moribus castissimus, ingenio mitis, prudentiæ, religionisque commendatione mirabilis, qui bona sua etiam paterna ad æstimationem multorum millium aureorum supremis tabulis Puellarum pauperum dotibus

legauit. Cadauer in S. Petri Basilica conditum. Vacauit Sedes per dies 8, supra menses duos.

Notæ. 27. Septembris.

Vrbanus VII. *Cosmi Castanei Genuensis, & Constantiæ Ricciæ Romanæ, filius.*

Vrbani gesta explicarunt Pompeius Vgonius *in Oratione funebri, Ferdinandus* Vghellius *in Italia sacra, Petramellarius, Auctarij* Ciaconij, *Io: Baptista Rubeus in Vita,* Augustinus Valerius, *Henricus Ludouicus Rupipozæus Castaneus in Nomenclatore Cardinalium, & alij plures.*

III. KAL. OCTOBRIS.

*R*omæ hac die Anastasius III. Pseudopontifex in Schismate contra Benedictum III. post duos menses & aliquot dies è Sede descendit. hoc enim fuit XIII. in *R*omana Ecclesia Schisma.

Notæ. 29. Septembris.

Anastasius. *patria Romanus* Presbyt. *Cardin. S. Marcelli.*

De quo Panuinius *in Epitome, & Ciaconius in Benedicto III.*

OCTO-

OCTOBER.

KALENDIS OCTOBRIS.

ROmæ anno salutis 1404. Pontificatus decimo quarto, mense vndecimo decessit Bonifatius IX. in ordine ducentesimus quintus Pontifex Maximus, patria Neapolitanus, genere Tomacellus Cybo, vnus insigniorum, & prudentissimorum Pontificum, quos Ecclesia Catholica habuit, commendatissimus continentia & castitate, propensissimus ad ædificia, qui annum Iubilæi tertium celebrauit, S. Petri Patrimonium recuperauit, Ladislaum Neapolitani Regis filium in paternum Regnum restituit, Robertum Cæsarem confirmauit, Cardinalium Senatui octo præstantissimos viros, nec non Brigittam Viduam Sueuicam Sanctis adscripsit, & Cameram Apostolicam ditissimam reliquit. Corpus solemni funere in Vaticano sepultum; Vacauit Sedes per dies quindecim.

Notæ. 1. Octobris.

Bonifacius. *ante* Pontificatum Petrus, *seu Petrinus Tomacellus Cybo, nobilis ex* Nidi Curia, *Cathedram* Petri *ascendit anno ætatis* 30. *alijs* 45. *Christi* 1389. *obijtque aliorum sententia Kalendis Nouembris.*

Bonifacij laudes explicant Ægidius Cardin. Viterbiensis in hist. 20. secul. Genebrardus, Boninsegnius in hist.

hist. Florentina, S. Antoninus, Sabellicus, Gobelinus, Garimbertus, Henricus, Spondanus in Annal. Eccles. Iacobus *Gretserus, Philibertus Campanillis de* Nobi*lium Neapolitanorum stemmatibus, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Platina, & reliqui omnes, qui historiam Pontificiam descripserunt.*

VI. NONAS OCTOBRIS.

Perusij anno Dominicæ natiuitatis 1264. diem clausit extremum Vrbanus IV. in ordine centesimus octogesimus quartus Pastor Vrbis & Orbis, natione Gallus, patria Tricassinus, cum sedisset in Petri Cathedra annos tres, mensem vnum, dies 4. Hic solemnitatem sanctissimi corporis Christi quinta feria. post octauam Pentecostes instituit, B. Richardum Episcopum, Ordinis Cisterciensis miraculis clarum Sanctis annumerauit, Synodum apud Vrbem veterem celebrauit, Regulam secundam S. Claræ approbauit, iniurias ante Pontificatum iniustè acceptas, facillimè dimisit, Crucis piam militiam contra Græcos Schismaticos indixit, prolationem nominis Mariæ sacris indulgentijs ditauit, nouoque Ordini Militiæ B. Mariæ formam viuendi præscripsit, interque Cardinales selectos viros quatuordecim cooptauit. Corpus ibidem in Cathedrali S. Laurentio sacra sepultum. Vacauit ab eius obitu Petri Sedes per menses 4. & dies 3.

Notæ.

Notæ. 2. Octobris.

Vrbanus. *Iacobus Pantaleo ante Pontificatum dictus, ex Patriarcha Hierosolymitano, casu pro Terræ Sanctæ negotijs in Vrbe existente, promotus omnium Cardinalium suffragijs ad Pontificatum, vacauit post eius obitum teste Panuinio dies duos supra mensem quartum, ex Platina verò & Genebrardo menses quinque.*

Meminere Vrbani S. Thomas Aquinas in Opusc. S. Antoninus, Odericus, Bzouius in Annal. Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Stero in Annal. Hippolytus Marraccius in Pontif. & in Biblioth. Mariana, Brichius, Vuadingus, Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui omnes Auctores historiæ sacræ, vel Pontificiæ.

NONIS OCTOBRIS.

Romæ anno Christi 336. Pontificatus mense 8. die 22. ad superos euolauit Marcus huius nominis primus, in ordine trigesimus quintus Pontifex, patria *Romanus*, sanctitate clarus, qui Basilicas duas extruxit, via Ardeatina vnam, alteram iuxta Palatinas in frequentiori Vrbis parte; Pallium Episcopo Ostiensi decreuit, vtque in sacris solemnibus Symbolum Apostolorum, iuxta sententiam Concilij Nicæni post lectionem Euangelicam decantaretur, edixit, vnicaque ordinatione Episcopos septem, Presbyteros

ros quinque, totidemque Diaconos consecrauit. huius corpus iacuit aliquando in Ecclesia via Ardeatina excitata, ex qua ad aliam ad Palatinas translatum. Vacauit Sedes per dies 20.

Notæ. 7. Octobris.

Marcus. *Prisci filius, sedit ex Damaso, & Platina supra biennium, ex Ludouico verò Iacobo à S.Carolo menses tantùm sex & dies* 24.

Huius Pontificis *acta explicant quotquot descripserunt historiam seu sacram, seu pontificiam, vel prophanam.* Vide *Ciaconium, eiusque Auctarios, Panuinium & alios, nec non Martyrologium Romanum, Bedæ, Vsuardi, Adonis, ac Baronium in* Notis, *& in Annal.*

VIII. IDVS OCTOBRIS.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1241. ante coronationem, die 17. ab electione decessit Cœlestinus IV. in ordine centesimus octogesimus primus Pontifex, patria Mediolanensis, ex antiqua, ac nobili Castilionea familia genitus, vita integer, doctrina insignis, & in negotijs plurimum versatus, qui breui licèt Pontificatu immortalem consequutus est gloriam. Sepultus in Vaticano, Vacauit Romana Sedes per menses octo, & dies 15. supra annum vnum; censuere enim, qui in Ecclesia Dei valebant auctoritate, neminem in Pontificem, esse eligendum, donec

donec Cardinales à Federico Cæſare in carcere detenti liberi dimitterentur.

Notæ. 8. Octobris.

Cœleſtinus. *Galfridus, ſeu Gaufridus, vel Goffridus dictus ante Pontificatum, ſedit ex alijs dies 18.*

Huius Pontificis res geſtas proſequuti ſunt Antonius Nigrinus in Elogijs Caſtillioneorum, Stadenſis, Matthæus Paris, Odericus, nec non Bzouius in Annal. Panuinius, Riccardus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

V. IDVS OCTOBRIS.

Anno ſalutis 1303. animi dolore, ex ingenti calamitatis vi concepto potiùs, quàm ſenio confectus exceſſit Romæ Bonifacius VIII. Pontifex verè Maximus, in ordine centeſimus nonageſimus quintus, patriâ Anagninus, nobili genere Caietanorum natus, doctrina, prudentia, rerumque experientia præſtans, ingenio, memoria, & acri iudicio præditus, magno, excelſoque animo iurium Eccleſiaſticorum, eiuſque libertatis conſtantiſſimus aſſertior; in amicos effuſus, & liberalis, in hoſtes ſæuus, qui ſacram Eccleſiæ ditionem amplificauit, Præneſte obſedit, captamque diripuit cum Zagarolo, & Columna; Eugubium ab Eccleſia deſciſcentem recuperauit, Cardinales vndeuiginti

euul-

euulgauit, quibus aliquotum ſententia purpuræ rei coloris veſtes, omnium Pontificium primus dedit; ſextum Decretalium publicauit; Annum Iubilæi celebrauit; Baſilicæ Vaticanæ Canonicorum numerum auxit; quatuor Euangeliſtarum, nec non quatuor Eccleſiæ Doctorum natalitios dies ſolemnes, & feſtos eſſe iuſſit, Ludouicum Galliarum Regem in Sanctorum Confeſſorum numerum retulit, quique Imperatoribus, Regibus, Principibus, Nationibus, Populis terrori potiùs quàm religioni fuit, toto ſpatio annorum octo, menſium nouem, dierum duodetriginta, quo Rempublicam Chriſtianam adminiſtrauit. Sepultus apud S.Petrum reducentibus feretrum Carolo II. Rege Neapolitano, alijſque illuſtriſſimis viris. Vacauit Sedes per dies decem.

Notæ. 11. Octobris.

Bonifacius. *Benedictus ante Pontificatum nuncupatus paſſus eſt, carcerem & ærumnas multas ab hoſtibus, de quo illud memorabile accidit, quòd eadem die, qua obijt, iam inde trecentum & duobus elapſis annis eius corpus integrum, atque incorruptum repertum fuit anno Domini* 1605.

Huius Pontificis acta referunt Iacobus *Stephaneſcus Diaconus Cardinalis in libro de coronatione Bonifacij. Dantes,* Petrarca, *Carolus Degraſſalius de Regalibus Galliæ, Genebrardus,* Carolus *Sigonius de Epiſcopis Bononienſibus, Bernardus in* Chronico,

nico, Odericus, & Bzouius in Annal. Marcus Guazzus in Chronico, Ioannes Rubeus, Nauclerus, Panuinius, Ciaconius, eiusdemque Auctarij in Vita, & alij plures.

IV. IDVS OCTOBRIS.

Romæ anno à partu Virginis 530. Pontificatus quarto, mense secundo, die duodeuigesimo obijt Felix III. dictus IV. Pontifex in ordine quinquagesimus quintus, patria Beneuentanus sanctitate illustris, qui rei diuinæ curam gerens, Patriarcham Constantinopolitanum declinantem à fide anathemate notauit, SS. Cosmæ & Damiani Templum via sacra extruxit nec non S. Saturnini via Salaria ab igne absumptum restituit, duabusque Ordinationibus Episcopos 29. Presbyteros 55. Diaconos verò 4. sacro perunxit oleo. Sepultus post obitum in Vaticano. Vacauit Sedes per dies tantùm tres.

Notæ. 12. Octobris.

Felix. *Castorij Fimbrij filius, sedit supra annos 4. & menses 2. dies 13. vel 15. reijciuntur tamen illi, qui scripsere Felicem per annos vndecim Ecclesiam administrasse.*

De hoc Pontifice tractant Baronius in Annal. Eccles. Leo Ostiensis in Chronico, Bosius in Roma subterranea, Ludou. Iacobus à S. Carolo in Biblioth. Pontificia,

tificia, Paulus de Angelis in Notis *ad* **Canonicum** *Romanum de Basilica* Vaticana, *Ciaconius, eiusdemque* Auctarij, *ac reliqui omnes, qui Pontificiam historiam elucubrarunt.*

III. IDVS OCTOBRIS.

Hac die Romæ anno salutis humanæ 635. Pontificatus 12. Mense xi. die 7. consecratis Episcopis 71. Presbyteris 13. & Diaconis xi. excessit Honorius I. in ordine primus supra septuagesimum Pontifex Maximus, natione Campanus, qui Monothelitarum hæresim damnauit, Clerum restituit, Templa Vrbis pleraque reparauit, ornauitque, ad Oceanum vsque Apostolicos Viros misit ad Gentium conuersionem; Eduini Regis Anglorum legatos obedientiam totius Regni nomine præstantes, benignissimè recepit, omniumque primus instituit vt singulis diebus Sabbathi à S.Apollinari ad S.Petrum Clerus cum Litanijs ordinatim procederet. Sepultus post obitum in Vaticano. Vacauit Sedes vsque ad consecrationem Successoris per Menses septem & dies duos deuiginti supra annum vnum.

Ibidem anno 640. Pontificatus secundo obijt Ioannes IV. in ordine septuagesimus tertius Pontifex, natione Dalmata, qui initio sui Pontificatus Captiuos omnes Ecclesiæ auro redemit, & Synodo Episcoporum in Vrbe collecta, Monothelitarum hæresim iterum damnauit. Sepulchrum

chrum post obitum habuit in Ecclesia prope fontem Lateranensem à se in honorem SS Martyrum Anastasij, Venantij, & Sociorum erecta. Vacauit Sedes per dies nouem supra mensem vnum.

Notæ. 13.Octobris.

Honorius. *Petronij de la Mara viri consularis filius, sedit teste S.Antonino menses vndecim, vel ex alijs menses quinque supra duodecimum annum.*

Est Honorij mentio apud Baronium in Annal. Panuinium, Platinam, Robertum Card. Bellarminum, Binium, Genebrardum, Ciaconium cum Auctarijs, & alios omnes, qui historiam Pontificiam descripserunt.

Ioannes. *Venantij Scholastici filius, sedit annum vnum, menses 9.diesque 18.*

Huius meminere ijdem, qui superius laudati sunt in Honorio Auctores, & alij plures apud eosdem.

PRIDIE IDVS OCTOBRIS.

Romæ via Aurelia natalis B.Callisti Papæ, in ordine decimi septimi, patria Romani, qui constituit, vt quater in anno, Vere scilicet, Æstate, Autumno, Hyeme ieiunaretur, eosque hæresis nomine damnandos censuit, qui putant Sacerdotes in crimen lapsos, post dignam pœnitentiam, pristinam dignitatem recuperare non posse; quique Ecclesia in Transtyberina regione ad honorem B.Virginis Mariæ ædificata,

nec non Cœmeterio via Appia, Alexandri Imperatoris iussu fame in carcere cruciatus, & quotidie fustibus cæsus, tandem anno Christi 227. è fenestra domus, in qua custodiebatur, præcipitatus, atque in puteum demersùs, victoriæ triumphum promeruit, cum administrasset Rempublicam Christianam per mensem vnum, & dies 12. supra quinquennium, ac quinque ordinationibus Episcopos octo, Presbyteros sexdecim, & Diaconos 4. consecrasset. Corpus tertio ab Vrbe milliario in Cœmeterio Callepodij Presbyteri sepultum, ex quo postea deductum ad Ecclesiam S. Mariæ Transtyberim, ibi magno cultu asseruatur. Vacauit Sedes Pontificia post huius obitum per dies sex.

Notæ. 14. Octobris.

B. Callisti. *Domitij filius de* Vico *Castrorum Rauennatum, cuius corporis pars translata in Galliam, Cisonij primum, deinde Remis recondita.*

De Callisto tractant Martyrologia Romanum, Bedæ, Vsuardi, Adonis, *Baronius in Notis, & in Annal. Eusebius in Chronico, & in hist. Optatus, Augustinus epist.*165. *Nicephorus vterque Episcopus scilicet, & Callistus, Surius Tomo* VII. *hac die, Mombritius, Ciaconius, eiusdemque Auctarij, & alij omnes, qui historiam tum sanctam, tum* Pontificiam *elucubrarunt.*

IDIBVS

IDIBVS OCTOBRIS.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1047. Pontificatus mense nono, die decimo quinto è vita excessit in Vrbe Clemens II. in ordine Pontifex, centesimus quinquagesimus secundus, natione Germanus, vir probus, ac literis eruditus, qui ex Episcopo Bambergensi, inuitus Sutrij in Synodo electus Romanus Pontifex, Henricum cum Agnete coniuge Imperatorijs insignibus in Vaticano decorauit, Concilium in Laterano contra Simoniacos celebrauit. Corpus ex supremis tabulis ad Ecclesiam Bambergensem delatum in Choro magnificentissimè conditum fuit. Vacauit eo mortuo Sedes Romana per menses nouem, & dies septem.

Ibidem anno 1389. Pontificatus XI. mense VI. die VII. mortuus est Vrbanus VI. Pontifex in ordine ducentesimus quartus, patria Neapolitanus, in quo præclaræ quidem ante Pontificatum eluxerant virtutes, Pontifex tamen factus, visus est eas numquam habuisse, aut vnico momento amisisse, quare Schisma in Ecclesia vidit, Cardinalium plures è medio sustulit, alios dignitate eadem orbauit, & ne se desertum videret, sexaginta nouem Cardinales, quorum viginti nouem eadem die euulgauit. Sepultus post obitum in Vaticano, paucis eius mortem vtpotè hominis inexorabilis flentibus. Vacauit Sedes per dies decem & septem.

O 2 Anno

Anno verò 1591. Ibidem apud S. Marcum acerbissimis doloribus extinctus est Gregorius XIV. in ordine Pontifex ducentesimus trigesimus tertius, patria Mediolanensis, cum *Romanæ* Ecclesiæ per menses decem, totidemque dies præfuisset, premente fere semper Vrbem annonæ penuria, grauique morbo. Hic Cardinalium Senatum quinque probatissimis viris auxit, *Regularibus* verò vsum rubri pilei concessit; Regno Galliarum adfuit contra tumultuantes, Pauperibus autem largis eleemosynis, rerum cœlestium contemplationi deditus, illi ad primam lucem vnius horæ spatio vacare solebat; Missæ sacrificium nisi ægrotus, numquam intermisit. Cadauer in Sacello Gregoriano conditum, Vacauit Sedes per dies 14.

Notæ. 15. Octobris.

Clemens II. *Suidgerus ante Pontificatum dictus ex Saxonia, Prouincia Germanica.*

De hoc agunt Hermannus Contractus, Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi, Albertus Crantzius in sua Metropoli, Iacobus Gaulterius in Tabula Chronogr. S. A*ntoninus, Baronius in Annal.* Ciaconius*, & reliqui, qui de Romanis Pontificibus tractarunt.*

Vrbanus VI. *Bartholomæus Prignanus seu Burillus* A*rchiepiscopus Barensis extra* C*ollegium Summus Pontifex electus.*

Cardinales quinque, & alios insignes P*rælatos, quia*

quia,in ipsum conspirauerant capite damnauit non sine nota seueritatis.

Sedit ex Panuinio in Chronico, Platina, & Genebrardo menses octo supra annum vndecimum.

Huius acta referunt Petrus Boninsegnius Florentinus in hist. Froissardus, Niemus, S. Antoninus, Ægidius Viterbiensis, Henricus Spandanus, Bzouius, Odericus in Annal. Genebrardus, Marraccius in Pontif.& in Biblioth. Mariana, Auctor Nomenclatoris Cardinalium, Michaël Monachus in Sanctuario Capuano, Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui omnes Pontificiæ historiæ Auctores.

Gregorius XIV. *Nicolaus Sfondratus ante Pontificatum nuncupatus, filius ex legitimo matrimonio Francisci S.R.E.Cardinalis.*

Gregorij laudes explicant Vincentius Blasius Garcia in Oratione funebri, Petramellarius, Ferdinandus Vghellius in Italia sacra, Henricus Caterinus Dauila in hist. Gallica, Spondanus in Annal. Baccius in Vita S.Philippi Nerij, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures apud eosdem.

XVI. KAL. NOVEMBRIS.

Romæ anno post Christum natum 531. Pontificatus die secunda post annum vnum mortuus est Bonifacius huius nominis II. in ordine Pontifex quinquagesimus sextus, patria Romanus, qui in Synodo à se conuocata in Vaticano, Constitutione plurimorum manu firmata successorem in Pontificatu nominauit, ne Gothorum

Reges Italiam occupantes, electionem Pontificis vsurparent; quæ tamen euulgata ab omnibus fuit reprobata, & rescissa. huius charitas emicuit in Annonæ penuria, nam Vrbi fame afflictæ adiumento fuit, Pauperibus ac Clericis Ecclesiæ opes larga manu effundens. Corpus in Vaticano conditum, Vacauit Sedes per menses tres, & dies quinque.

Ibidem anno Christi 707. Pontificatus secundo, mense septimo, die 17. ad Superos euolauit Ioannes huius nuncupationis VII. in ordine octogesimus septimus, patria Rossanensis, vir multæ eloquentiæ & sanctitatis, qui Basilicas plures in Vrbe restituit & ornauit, vnicaque ordinatione Episcopos 15. Presbyteros 9. Diaconos 2. consecrauit. Sepultus ad S. Petrum ante Altare Sanctissimæ Dei Genetricis Mariæ, quod ipse erexit. non vacauit Sedes, nam die sequenti ab obitu electus est successor.

Notæ. 17. Octobris.

Bonifacius. *Sigisuulthi, alijs Sigisbuldi filius, genere Gothus, sedit teste S. Antonino annos duos, ex Annastasio verò dies 26. supra annum secundum.*

Meminere Bonifacij Baronius in Annal. Eccles. Ciaconius, Panuinius, Platina & reliqui de Romanis Pontificibus Scriptores.

Ioannes VII. *Platonis Ianidegæ filius, post cuius obitum vacauit Romana Sedes, teste Panuinio*

uinio per dies sex, ex Baronio verò mensibus tribus.

Celebrant Ioannem *Ciaconius, eiusdemque Auctarij, Platina & alij.*

XV. KAL. NOVEMBRIS.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1503. Pontificatus vigesima sexta die, ætatis quartum & sexagesimum agens annum sæuo vlcere, quod crus exedebat, afflictus excessit *R*omæ Pius huius nominis III. in ordine ducentesimus vndeuigesimus Pontifex Maximus, patria Senensis, Pij II. ex Sorore nepos, vir benigni, mitis, humanissimique ingenij, qui religione, integritate, modestia, grauitate claruerat semper, cui ob singulares virtutes iamdiù communis hominum opinio summum Ecclesiasticæ dignitatis apicem augurauerat. Sepultus primò in Vaticano apud Pium patruum, inde cum eodem translatus ad Ecclesiam S. Andreæ de Valle. Vacauit Sedes per dies 14.

Notæ. 18. Octobris.

Pius III. *Franciscus* Picolomineus *ante Pontificatum nuncupatus, filius Nani Tudeschini, & Laodomiæ Pij II. Sororis.*

Huius acta, virtutesque referunt præter Panuinium, Ciaconium, *aliosque de Romanis Pontificibus Historicos,* Marcus Antonius Sabellicus, Marsilius

Ticinus, Antonius Campanus, Augustinus Dathus, Iacobus Amanatus, Franciscus Philelphus, Angelus Politianus, Aldus Manutius, Lippus Brandolinus, Hermolaus Barbarus, Petrus Delphinius, in Epist. alijque quamplures.

XIV. KAL. NOVEMBRIS.

Anno post Christum natum 1187. Ferrariæ, quò Veronæ discedens se receperat, Romam profecturus, cum tristem nuncium accepisset Vrbem Sanctam Hierusalem, anno octauo supra octogesimum postquam à Goffredo Buliono fuerat gloriosè recepta, Saladinum suam in potestatem adduxisse; Crucemque Domini in manus impiorum peruenisse, dolore animi potiùs, quàm morbo occubuit. Vrbanus III. in ordine centesimus septuagesimus quartus, patria Mediolanensis, cum rexisset Petri nauim per menses decem, diesque 15. supra annum vnum, & euulgasset vnum, aut alterum Cardinalem. Corpus honorificè sepultum in Cathedrali Ferrariensi; vacauit Sedes per diem tantum vnum.

Notæ. 19. Octobris.

Vrbanus III. *Lambertus antea vocatus è familia nobili & perantiqua* Cribella *natus, sedit teste S. Antonino annos tres, seu ex alijs dies 25. supra annum & menses decem; obijtque die 18. Octobris, seu 19. vel 20. aut 22. Nouembris.*

De Vrbano III. tractant Baronius in Annal. Gottifridus Viterbiensis in hist. Neubrigensis, Rogerius, Bernardinus Corrus in hist. Mediolanensi, Ciaconius cum Auctarijs, & reliquis.

XII. KAL. NOVEMBRIS.

Romæ anno salutis 942. Pontificatus tertio, mense 4. die 15. mortuus est Stephanus IX. alijs VIII. in ordine Pontifex centesimus trigesimus, natione Germanus, literis excultus, virtutibusque plurimis ornatus, qui à Romanis sæpiùs seditionibus vexatus, nihil memoria dignum in Ecclesiæ commodum patrare potuit. Corpus in Vaticano conditum. vacauit Sedes per dies decem.

Notæ. 21. Octobris.

Stephanus. *eodem vsus nomine ante Pontificatum, quem Othonis Regis Germanorum opera legitime obtinuerat, rexit ex Panuinio per annos duos, & menses aliquot, seu ex Baronio, & Codice Vaticano annos tres, menses quatuor, ac dies quinque.*

Meminere Stephani S. Antoninus, Iacobus Gaulterius, Auctor Romæ subterraneæ, Ciaconius, & alij.

XI. KAL. NOVEMBRIS.

Theodorus Presbyter Cardinalis post obitum Ioannis V. Pontificis anno salutis 686. à Militibus

bus proclamatus Pontifex, sedem Petri per aliquot dies occupauit; at electus Conon ab omnibus derelictus è Throno sponte descendit.

Notæ. 22. Octobris.

Theodorus. *sedit contra Petrum quemdam ab aliquibus Clericis ad solium vi prouectus.*

De hoc tractant acta Cononis apud Baronium, Panuinium, Ciaconium, & alios.

X. KAL. NOVEMBRIS.

Hac die in Vrbe anno à partu Virginis 928. Pontificatus Mense sexto die 15. obijt Leo huius nominis sextus, patria Romanus, qui integrè, modestèque viuens, rei diuinæ mirificè consuluit, conatusque semper est Ciues ad concordiam redigere, res Italiæ componere, externum pacare hostem, barbarosque ab Italia propulsare. Sepultus ad Sanctum Petrum, vacauit Sedes per diem tantùm vnum.

Notæ. 23. Octobris.

Leo VI. *Christophori Primicerij S.R.E. ex legitimo matrimonio filius, ex familia Gemina, quæ Sanguinea postea dicta est, sedit, teste S. Antonino Menses tres. Hunc Panuinius post Ioannem XI. alij & meliùs post X. inter Pontifices collocant.*

Est Leonis mentio apud Leonem Ostiensem in Chronico

nico Cassinensi, Iacobum Gaulterium in Tabula, Ciaconium, & alios.

VIII. KAL. NOVEMBRIS.

*R*omæ anno Christi 423. Pontificatus quarto, mense 9. die 24. ad superos euolauit Bonifacius I. in ordine quadragesimus tertius Pontifex Maximus patria Romanus, sanctitate, nec non miraculis clarus, qui ex Sotheri sententia vetuit, ne mulieres altaria aut thura attectarent, neue seruus, aut aere alieno grauatus in Clerum reciperetur, vnicaque ordinatione Episcopos 36. Presbyteros 13. Diaconos tres consecrauit. Sepultus via Salaria in Cœmeterio S. Felicitatis Martyris, inde ad Vaticanam Basilicam translatus cessauit Episcopatus per dies nouem.

Ibidem anno 622. mortuus est Bonifacius V. in ordine Pontifex septuagesimus, patria Neapolitanus natura mitissimus, singularis humanitatis, & clementiæ, magnaque in omnes benignitate & gratia vtens, nullum genus officij prætermisit, quod bonum deceret pastorem. hic immunitatem Ecclesijs concessit, ordinauitque Episcopos 29. Presbyteros 26. Diaconos 4. quinque annorum, mensiumque decem spatio, quo Rempublicam Christianam administrauit. *Se*pulchro conditus in Vaticano. Vacauit Sedes per dies 12.

Anno verò 935. Ibidem extinctus in carcere Ioannes XI. in ordine centesimus duodetrigesimus

mus Pontifex Maximus, patria Romanus ex Comitibus Tusculanis, qui à suis vexatus, nec non è solio deiectus post quintum suæ sedis annum. vti inuasorem Cathedræ alij è numero Pontificum Ioannem reijciunt. Post obitum conditus in Laterano, vacauit Sedes per diem vnum.

Notæ. 25. Octobris.

Bonifacius I. *Iucundi presbyteri ex legitimo matrimonio filius, sedit ex Anastasio annos 3. Menses 4. dies 13. ex Platina verò menses 8. diesque 7. ex Genebrardo Menses 4. dies 7. supra annum 3. ex Panuinio annos quinque, minùs mensibus duobus, & diebus tribus.*

Celebrant Bonifacium I. *Martyrologium* Roma*num, Baronius in Notis, & in* Annal. *Gretserus in examine myst.Pless.Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.*

Bonifacius V. *Ioannis Fumminij filius, sedit ex alijs annos septem, menses decem, & dies vndecim.*

De illo Baronius in Annal. *Panuinius, Platina, Ciaconius, cum Auctarijs, & reliqui qui historiam Pontificiam descripserunt.*

Ioannes XI. *Vvidonis Thusciæ Marchionis potentia, & Marotiæ matris Romanam* Sedem *obtinuit, seu in illam intrusus sedit aliorum sententia annos 4. Menses x. dies 15.*

De illo Ciaconius, Baronius, P*anuinius, & alij Scriptores omnes, qui acta Pontificum Romanorum pertractarunt.*

VII.KAL.

VII. KAL. NOVEMBRIS.

Romæ memoria S.Euaristi Pontificis, in ordine sexti, natione Syri, qui Romanam Vrbem in Titulos diuisit, & Presbyteris illos attribuit, vt vnusquisque suæ paroeciæ terminis, certisque limitibus distingueretur; septem quoque Diaconos custodiæ Episcopi prædicantis perpetuò addixit, Deique Ecclesiam sub Hadriano Imperatore anno salutis 118. suo sanguine purpurauit; cum illi præfuisset menses duos, diesque duodetriginta supra annos octo, atque in ea ordinasset Episcopos quinque, Preebyteros sex, seu decem & septem, Diaconos duos. Sepultus iuxta B. Petri corpus in Vaticano, vacauit Romana Sedes per dies 19.

Notæ. 26. Octobris.

Euaristus. *Iudæ Iudæi filius, sedit affirmante Platina annos decem, & menses septem, ex Eusebio autem annos tantùm octo, ex Mariano Scoto annos decem & menses duos, ex Baronio annos nouem & menses tres.*

Est Euaristi mentio in Martyrologijs Romano, Bedæ, Vsuardi, Adonis*, apud* Irenæum*, Epiphanium, Eusebium in Chronico, Optatum,* A*ugustinum, Nicephorum, Panuinium, Ciaconium, & alios.*

PRIDIE

PRIDIE KAL. NOVEMBRIS.

Anno salutis humanæ 1003. Pontificatus mense quarto, dieque 25. in Vrbe è viuis sublatus Ioannes huius nominis XVII. in ordine Pontifex centesimus quadragesimus quintus, patria Romanus, qui Defunctorum commemorationem in Ecclesia confirmauit. Conditus post obitum in Ecclesia S. Sabæ. vacauit Cathedra per dies 15.

Notæ. 31. Octobris.

Ioannes. *Sico ante* Pontificatum *nuncupatus, genere ignobilis sedit Panuinio scribente, menses quinque, ex Baronio verò dies aliquot supra menses quinque.*

De hoc agunt Platina, Blondus, Genebrardus, Ciaconius cum Auctarijs, alijque multi.



NOVEM-

NOVEMBER.

KALENDIS NOVEMBRIS.

ROmæ anno post Christum natum 827. Pontificatus 4. Mense 11. dieque 12. extinctus est Hadrianus iunior, seu secundus, omnium plausu, se tamen repugnante, ad Pontificatum assumptus, locum centesimum octauum inter illos occupauerat, patria Romanus, qui cum aliquando Sergio Pontifici familiaris esset, & quadraginta ab eo nummos dono tulisset, cuidam domestico tradidit, vt in pauperes erogaret; is cum multitudini pauculos nummos nequaquam satisfacturos videret, rem omnino retulit; tum Hadrianus ipsemet pecunia accepta singulis ternos denarios distribuit, quorum totidem sibi reseruauit, quot erogauerat, quod diuino miraculo factum putarunt familiares, vt quàm magnus pauperum numerus, eò magis aucti & multiplicati fuerunt nummi. Hic Synodum Constantinopolitanam octauam indixit, in qua Photius Patriarcha, trecentorum & octoginta trium Episcoporum suffragio tanquam factiosus deiectus, & Ignatius restitutus; Ludouicum Cæsarem coronauit; Aragonensibus sanctarum legum numerum, & nouam constituendi Regni formam dedit. Sepultus post obitum ad S. Petrum, vacauit Sedes per dies 12. supra mensem vnum.

Notæ.

Notæ. 1. Nouembris.

Hadrianus II. *Calari, alijs Talari Episcopi ex legitimis nuptijs filius, sedit affirmante S. Antonino, annos quinque & menses vndecim, ex Baronio verò Menses* 10. *diesque* 17. *supra annum decimum, obijtque teste Panuinio Kalendis Octobris.*

Huius laudes explicant Auctor Roma subterranea, Ioannes de Columna, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, alijque plures.

VIII. IDVS NOVEMBRIS.

Anno Christi 707. Pontificatus die 22. *Romæ* subita morte correptus est Sisinius, quem alij Zosimum vocant, natione Syrus, in ordine Pontifex octogesimus octauus, qui vnico tantùm consecrato Episcopo pro Insula Cyrni, reliqua quæ parauerat in Ecclesiæ commodum, perficere non valuit; multa tamen edidit signa virtutis suæ, & licèt chiragra & podraga laborans, manuum ac pedum vsum prorsus careret, numquam tamen diuinarum rerum cultum intermisit. Sepultus post obitum ad S.Petrum, vacauit Sedes per dies sexdecim supra mensem vnum.

Ibidem anno 1406. obijt Innocentius VII. in ordine Pontifex ducentesimus sextus, natione Aprutinus, patria Sulmonensis, cui Scripto-

res

res triplex tribuunt elogium, pacifici nimirum, mitis, & probi, adduntque iurifconfultiffimum fuiffe, & delectari folitum colloquijs doctorum virorum, fingularemque facundiam & venuftatem in dicendo obtinuiffe, vexatus ferè femper tum à Gibellinis, tum à Guelphis, Ecclefiam rexit per dies 21. fupra biennium, quo tempore vndecim, aut duodecim euulgauit Cardinales, quorum tres, Angelus videlicet Corarius, Petrus Philargus, & Otho Columna Petri folium afcenderunt, fub nomine Gregorij XII. Alexandri V. & Martini III. vulgò V. poft obitum conditus in Vaticano; vacauit Cathedra per dies 24.

Notæ. 6. Nouembris.

Sifinius. *Ioannis filius, obijt ex alijs die 7. Februarij anno* 708. *& vacauit poft eius obitum Sedes per dies* 29.

Dictus etiam eft Sofinus.

De hoc agunt Panuinius, *Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.*

Innocentius. *Cofmatus Melioratus ante Pontificatum vocatus.*

Celebrant Innocentium *Leonardus Aretinus in Commentario rerum fuo tempore geftarum; Ægidius Viterbienfis, Seuerinus Binius, Baptifta Campofulgofius in dictis, & factis memorabilibus, Hippolytus Marraccius in Pontif. Marianis, Ferdinandus Vghellius in Italia facra, Henricus Spondanus*

in Annal. Eccles. Ciaconius cum Additarijs, & reliqui omnes, qui de Romanis Pontificibus ex professò scripserunt.

VI. IDVS NOVEMBRIS.

Romæ anno Christi 6.16. Pontificatus tertio, dieque vndeuigesimo animam Deo reddidit S. Deusdedit Pontifex, in ordine sexagesimus nonus, patria Romanus, qui tanti meriti fuit, vt leprosum osculo à lepra sanauerat, quique Clerum & Populum Romanum impensè dilexit, & auxit, dum vixit, moriens autem viritim nummos diuidendos eidem reliquit; vetuit solùm, ne filius cum puella quem Pater à sacro fonte receperat nuptias vlla ratione contraheret. Corpus in Basilica Principis Apostolorum digno cum honore sepultum; vacauit Sedes vsque ad consecrationem Successoris dies sexdecim supra mensem vnum.

Ibidem anno 1032. Pontificatus sui octauo, mense nono, die decimo mortuus est Ioannes huius nuncupationis XIX. alijs XX. in ordine Pontifex centesimus vndequinquagesimus, patria *R*omanus; ex Comitibus Tusculanis, Benedicti VIII. Prædecessoris germanus frater, professione Monachus S. Benedicti, qui à Romanis expulsus, Conradi Imperatoris opera restitutus, illum Imperiali corona solemniter cinxit. Conditus post obitum in Vaticano inter portam argenteam & Romanam; vacauit Sedes per dies duos.

Notæ.

Notæ. 8. Nouembris.

Deusdedit. *alijs Deodatus, vel Theodatus, Petri, seu verius Stephani filius sedit scribente S.* Antonino *dies* 20. *supra annos duos, ex Panuinio verò annos tres, & totidem supra* 20. *dies, ex Anastasio, & Baronio annos tres, minùs dies quinque.*

Huius Pontificis Ossa tum Romæ, tum Neapoli venerantur Fideles.

Tantum Pontificem *celebrant Martyrologium* Romanum, *Ciaconius, eiusque* Auctarij, *& reliqui omnes, qui historiam sanctam, vel pontificiam scriptis consignarunt.*

Ioannes XIX. *Gregorij filius ante* Pontificatum *Ioannes nuncùpatus, sedit ex alijs annos decem.*

De hoc agunt Glaber, Rodulphus, Leo Marsicanus in hist. Cassinensi, *Ciaconius cum Auctarijs,* Panuinius, *Platina, Io:Stella, & reliqui omnes de Romanis Pontificibus Scriptores.*

IV. IDVS NOVEMBRIS.

Romæ anno Dominicæ Natiuitatis 1549. ætatis 82. Pontificatus xv. Mense primo, die septima, excessit Paulus III. in ordine Pontifex ducentesimus trigesimus quartus, patria Romanus, gente Farnesia genitus, prudentia insignis, & in explorandis hominum studijs, & sensibus de-

tegendis solerti perspicacia dotatus, vir magni consilij, doctrinæque qui Concilium Mantuanum, & Tridentinum indixit, bellum inter Carolum V. Cæsarem, & Franciscum Galliarum Regem sedauit, fœdus contra Turcas, & Hæreticos iniuit, Capuccinorum Ordinem, & Societatem Iesu confirmauit; Henricum VIII. Angliæ Regem anathemate damnauit, Carolum V. benignissimè recepit, viros septuaginta & vnum pietatis, prudentiæ, doctrinæque laude clarissimos, vndique conquisitos inter Purpuratos retulit, ex quibus quatuor, Iulius videlicet III. Marcellus II. Paulus IV. & Pius IV. ad supremum Ecclesiasticæ dignitatis fastigium peruenerunt; ad expeditionem Tuneti à Carolo V. susceptam duodecim Triremes Virginio Vrsino Duce instruxit, Ecclesias aliquas in Cathedrales erexit, Equitum Ordines plures instituit, Vrbem & Vaticanam Basilicam ornauit maximè, in hac iacet in Tumulo, publico aere, Cardinalium decreto erecto. Vacauit post eius obitum Sedes per dies vndetriginta supra menses duos.

Notæ. 10.Nouembris.

Paulus III. *Alexander ante Pontificatum nuncupatus, Petri Aloysij Farnesij & Ioannellæ Caietanæ de Sermoneta, Bonifacio VIII. sanguine coniunctæ filius.*

Pauli acta referunt Romulus Amasæus in oratione

ne funebri, Henricus Spondanus in Annal. Hippolytus Marraccjus in Pontif. Marianis, Bosius in Roma subterranea, Iacobus Gaddius de Script. non Eccles. Mutius Pansa in Biblioth. Vaticana, Sfortia Cardin. Pallauicinus in hist. Concilij Trident. Felix Contelorius in Elencho, Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui omnes, qui historiam Pontificiam descripserunt.

III. IDVS NOVEMBRIS.

Ceræ in Tuscia à Constantino Imperatore Ariano ob Catholicæ fidei defensionem è Sede, quam occupauerat contra Liberium gladio necatus gloriosè occubuit Felix huius nominis secundus, patria Romanus, cum per annum vnum, menses tres, & dies duos administrasset Rempublicam Christianam, cuius natalis dies ab Ecclesia anniuersaria celebritate recolitur 4. Kal. Augusti, quæ licèt eius Pontificatum non probet, complectitur tamen martyrium. Corpus à Clericis raptum via Aurelia secundo ab Vrbe lapide conditum in Basilica, quam ipse construxerat.

Notæ. 11. Nouembris.

Felix. *Patre Anastasio genitus ex Diacono Cardinali, octo annis aliorum testimonio præfuit Ecclesiæ.*

De illo Martyrologium Romanum, Baronius in

Notis, & in Annal. Anastasius Bibliothecarius, Ado, Viennensis, Beda, Notkerus, Vsuardus, Ciaconius, Panuinius, & alij quamplures, quorum aliqui illum non expungunt à numero Pontificum Romanorum.

PRIDIE IDVS NOVEMBRIS.

Hac die in Vrbe anno post Christum natum 530. extinctus est Dioscorus, patria Romanus, electus in schismate contra Bonifacium II. Dei benefitio factum fuit, vt citò morte præuento Schismatico, extingueretur & Schisma; non enim sedit nisi per dies vndetriginta; Sepultus post obitum in Vaticano.

Anno verò Christi 606. Ibidem obijt post ordinatos Episcopos xxi. alijs xi. Bonifacius huius nominis III. in ordine Pontifex sexagesimus septimus, patria Romanus, iurium Ecclesiæ defensor acerrimus, vita, fide, moribus probatissimus, qui breuem sortitus vitam in Pontificatu, non enim peruenit ex aliquibus ad mensem nonum, conuocatis ad Synodum duobus & septuaginta Episcopis, triginta Presbyteris, tribusque Diaconis, constituit proposita delinquentibus graui anathematis pœna, vt post triduum in locum demortui Episcopi vel Pontificis alius subrogaretur, ne quis occultò, aut circumuentione aliqua Pontificatum, aut Episcopatum appeteret, Sepultus ad S. Petrum in Vaticano, vacauit Sedes per dies quindecim

cim supra menses sex.

Anno 654. Pontificatus 6. mense 4. die 17. rerum omnium difficultatibus afflictus, virtutibus omnibus ornatus decessit Martinus huius nominis primus, in ordine Pontifex septuagesimus quintus, natione Tuscus, patria Tudertinus, qui Romæ coacta Synodo, cum Sergium, Paulum, & Pyrrhum hæreticos damnasset, iussu Constantis Imperatoris hæretici per fraudem captus, & Constantinopolim in vinculis perductus, in Chersonesum relegatus, ibi ob Catholicam fidem ærumnis confectus, ac miraculis clarus, cum Episcopos 33. Presbyteros 11. Diaconos 5. consecrasset, vitam sanctissimè terminauit, cuius corpus postea Romam translatum iacet in Titulo Equitij. Post huius obitum vacauit Romana Sedes per menses 8. & dies 28. quia nihil certi de sanctissimi viri morte in Vrbe habebatur.

Notæ. 12. Nouembris.

Dioscorus. *ex Presbytero S.R.E. electus Pseudopontifex.*

De quo Baronius in Annal. Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij apud eosdem.

Bonifacius. *Ioannis Catadiocti filius, sedit Panuinio teste annum vnum, menses duos, & dies 28. obijtque ex alijs die 2. Maij.*

Est Bonifacij mentio apud Ciaconium, eiusdemque Auctarios, Baronium in Annal. Pan-

uinium, Platinam & alios.

Martinus. *Fabricij filius obijt ex alijs hac die anno 653. cum sedisset ex Baronio Menses tres, & dies 12. vel ex* S. *Antonino, Panuinio, ac Breuiario Romano mensem vnum, dies 26. supra sextum annum.*

Plures præclarissimis laudibus Martinum celebrant. Vide *Martyrologium Romanum, Bedæ, Vsuardi, Adonis, Menologium Græcorum Idibus* Aprilis, & 16. *Kal. Octobris; vide acta apud Surium, Anastasium, Panuinium, Ciaconium, & alios.*

IDIBVS NOVEMBRIS.

Romæ anno Christi 867. Pontificatus nono, mense 6. die 20. è vita excessit Nicolaus huius nominis primus, cognomento Magnus, quia Gregorium, & Leonem gloria æquauit, in ordine Pontifex centesimus septimus, patria *Romanus*, vir tantæ reuerentiæ, maiestatis, eloquentiæ, ac doctrinæ vt ab omnibus tamquam numen coleretur. hic absens renunriatus est Pontifex, fugiens ac latitans, nolensque collocatus in solio, Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani partes contra Photium sustinuit, Ioannem Archiepiscopum Rauennæ ad Sedem Apostolicam vocatum, propter obiecta crimina venire recusantem, dignitate priuauit, Saracenos Beneuentum vsque peruagatos repulit, Lotharium Lotharingiæ *Regem* iniustè vxorem repudiantem, anathemate perculit, Bulgaros, eorumque

que Regem ad fidem perduxit Christianam, quibus instruendis sanctissimos viros dedit, Vrbis Basilicas plures restaurauit, ornauitque, Episcopos 65. Presbyteros 7. Diaconos 7. ordinauit, Sardis pro contrahendis nuptijs leges dedit, Rotadum Suessonicæ, & Seufredum Placentinæ Vrbis Episcopos iniustè ab illis expulsos, per legatos suos restituit, Imperatoris minas contemnens, Ecclesiæ iura forti pectore tutatus semper est. Sepultus post obitum ante fores Basilicæ S. Petri. vacauit Sedes per dies septem.

Notæ. 13. Nouembris.

Nicolaus. *Theodori filius, sedit ex S. Antonino menses duos, & dies 20. ex alijs menses 7. ac nonnullos dies supra annum nonum; Hic Ioanne Diacono affirmante receptus in Sanctorum gloria, una cum S. Gregorio cuidam apparuit.*

Tantum Pontificem summis laudibus prosequuti sunt Hadrianus II. Pontifex *literis ad Orientales datis, Gratianus in Decret. Annales Fuldenses, Anastasius Biblioth. Miræus,* Io: *Baptista Egnatius, Bosius in Roma subterranea, Giacchettus in hist. Eccles. & Monasterij S. Siluestri de* Vrbe, *Baronius in Annal.* Panuinius, *Ciaconius cum Auctarijs, alijque quamplures.*

XIII. KAL. DECEMBRIS.

In Sardiniæ Insula anno Dominicæ Natiuitatis

tis 237. fuſtibus mactatus Martyrium conſumauit Calpurnius Pontianus, patria Romanus, in ordine Pontifex vndenigeſimus; qui ſanctitatis laude clariſſimus, per annos quinque, totidem menſes, dieſque duos, quibus Rempublicam Chriſtianam adminiſtrauit, nil magis Ciuibus ſuis, & reliquis perſuadere nixus, quàm vt ab antiquis ſuperſtitionibus recederent, & veritati acquieſcerent Catholicæ; quare falſis delationibus apud Alexandrum Imperatorem accuſatus, Vrbe eiectus, in Inſulam Sardorum relegatus, cohorte Militum ſtipatus, martyrij palmam aſſequutus eſt. Corpus à B. Fabiano Romam relatum, in Cœmeterio Calliſti ſepultum; Vacauit Sedes per diem tantùm vnum.

Romæ verò anno ſalutis 499. eadem die, cum ſediſſet annum vnum, menſes vndecim, totidemque dies, ac ordinaſſet Epiſcopos 16. Presbyteros 12. è vita migrauit Anaſtaſius II. iunior nuncupatus, patria Romanus, in ordine Pontifex quinquageſimus primus. Sepultus in Baſilica S. Petri Apoſtoli, vacauit Sedes per dies duos.

Notæ. 19. Nouembris.

Calpurnius Pontianus. *Calpurnij filius ſedit ex Ferrario, & Baronio annos 4. totidem menſes & dies 25. à Damaſo verò Euſebio, Mariano Scoto, & Platina menſes quinque ſupra nouennium, ex Anaſtaſio Bibliothecario, & dies duos ſupra quinquennium.*

De

De Pontiano agunt Martyrologium Romanum, *Vsuardus, Ado, Beda, Optatus Mileuitanus, Augustinus epist.165. Nicephorus Episcopus in Chronico, Nicephorus Callistus in hist. Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.*

Anastasius II. *Petri filius de regione Esquilina, obijt ex alijs 16. Kal. Decembris, contra quem multa ficta, ac si communicasset hæreticis.*

De Anastasio tractant Baronius in Annal. *Albertus Pighius in hierarch. Eccles. Ciaconius cum Auctarijs, ac reliqui omnes, qui historiam Pontificiam pertractarunt.*

XI. KAL. DECEMBRIS.

Annus Christi 496. nouissimus fuit S. Gelasio huius nominis primo, in ordine quinquagesimo, genere Africano, sanctitate & doctrina illustri, qui Concilia duo Romæ congregauit, vnum septuaginta, alterum quinquaginta quinque Episcoporum pro primatu Romanæ Ecclesiæ aduersùs Constantinopolitanos Episcopos; qui in illam cornua erexerant, & contra Manichæos; quos ab Vrbe expulit, & exilio damnauit. Clerum vnicè dilexit, & auxit, Pauperes semper mira beneuolentia, & caritate complexus est, Romam inopia, & fame laborantem subleuauit, Anastasium Imperatorem & Vvandalorum Regem, quòd Hæreticis fauerent, à Fidelium communione segregauit, & hæc spatio annorum quatuor, Mensium octo, dierum vndeuiginti, quo

quo præfuit Romanæ Ecclesiæ. Post obitum conditus in Vaticano; vacauit Sedes per dies quinque.

Notæ. 21.Nouembris.

Gelasio. *fuit Valerij Episcopi Africani ex legitimo matrimonio filius, obijtque ex alijs die 13.Decembris.*

Gelasij acta explicant Martyrologium Romanum, Baronius in Notis & in Annal. Beda, Vsuardus, liber de Romanis Pontificibus, Panuinius, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

IX. KAL. DECEMBRIS.

Hac die natalis S.Clementis Papæ, patria Romani, B.Petri Apostoli in virtute discipuli, insulæque hæredi, qui tertius inter Pontifices Maximos numeratus, Rempublicam Christianam administrauit per annos 9.Menses 6.dies 4.& in exilium actus vltra Euxinum Pontum, munere suo nec in ea quidem fortuna oblitus est fungi, docuitque bis mille Fideles ad latomias damnatos, eisdemque aquæ penuriæ laborantibus miraculo succurrit, quare Proconsul Aufidius Pontificem anchoræ illigatum in mare præcipitauit. Cuius Corpus Nicolao I.Pontifice Romam translatum in Ecclesia, quæ eius nomine antea fuerat extructa in paternis domibus in Cœlio Monte, reconditum est. Vacauit Romana Sedes per dies 22.

Notæ.

Notæ. 23. Nouembris.

S. Clementis. *Faustini, & Matidiæ filius ad Cæsarum gentem ortum suum referens, in regione secunda Cœlij Montis natus est.*

Celebrant S. Clementem Martyrologia Romanum, Bedæ, Vsuardi, Adonis, S. Hieronymus, & Bellarminus de Script. Ecclesi. Baronius in Notis, & in Annal. Pauuinius, *Platina, Ciaconius, & reliqui omnes, qui historiam* Pontificiam, *vel sanctam descripserunt.*

VII. KAL. DECEMBRIS.

Veronæ, quo ad Concilium à se indictum accesserat, mortuus est anno salutis 1185. Pontificatus 4. Mense secundo, die duodetrigesima, Lucius huius nuncupationis tertius, in ordine centesimus septuagesimus tertius, natione Etruscus, patria Lucensis, vir optimus, pietatis & pacis cultor obseruantissimus, qui Vaticanam Basilicam, ac Mutinensem Cathedralem consecrauit, Vuillelmum Scotiæ Regem ab excommunicatione absoluit, & Regnum ab interdicto relaxauit; Regem Armenorum cum Episcopis; ac Populo Apostolicæ Sedi se subdentem, benignissimè recepit, sexdecim præstantes viros Cardinalium Senatui adscripsit, inter quos plures Romanos, licèt ab Incolis illius Vrbis male habitus semper fuisset. Corpus in Cathedrali Veronensi honorificè marmoreo sepulchro conditum: post

huius

huius obitum non vacauit Romana Sedes, neque per diem, nam sequenti à morte electus est successor.

Notæ. 25. Nouembris.

Lucius. *Hubaldus* Allucingolus *ante Pontificatum nuncupatus, Bonagiuntæ Morli filius.*

Meminere Lucij Auctores Chronicorum Lucensium, Guillelmus Tyrius de Bello sacro, Ptolomæus Lucensis, Stephanus Damaleuick in Vitis *Episcoporum Vladislauiensium, Martinus* Cromerus, *S. Antoninus, Panuinius, Ciaconius cum* Auctarijs, *& alijs multis.*

IV. KAL. DECEMBRIS.

Anno Domini 741. Pontificatus sui decimo, mense octauo, die quarta, & vigesima Romæ migrauit in Cœlum Gregorius III. in ordine Pontifex nonagesimus primus, natione Syrus, vir singularis doctrinæ, & humanitatis, præcipuè græca atque latina lingua eruditus, diuinas ita callens scripturas, vt nemo tunc disertior prædicatione atque interpretatione haberetur. ne autem verbo tenus & cohortationibus Populos ad pietatem excitaret, omnia, quæ exemplo mouere possunt, ita assiduè obibat, vt iudicare difficile sit promptior ne lingua, an opere fuerit. Orthodoxam fidem acriter defendit semper, vt eam ob rem maximorum Principum graues simultates, & inimicitias incurrere non dubitauerit,

rit, numquam armis, numquam potentia, minisque cuiuspiam è gradu suæ constantiæ deiectus. Synodos duas in Vrbe celebrauit, in caussa legati Apostolici vnam, alteram pro cultu sacrarum imaginum. Huius liberalitatis id argumentum est, quòd erga Pauperes præstitit, quòd in captiuis redimendis, in subleuandis aere alieno oppressis, in viduis ac pupillis tegendis effudit, vt ea ratione communi voce Pater Patriæ vocaretur, quare collacrymantibus omnibus, tamquam communi parente orbatis, sepultus in Vaticano. Vacauit Sedes per dies octo.

Notæ. 28. Nouembris.

Gregorius III. *Ioannis filius sedit ex alijs menses nouem, diesque 12. supra annum decimum, obijtque hac die, male alij die 13. Februarij.*

De Gregorio inter Sanctos adscripto agunt Martyrologia, *Romanum, Bedæ, Vsuardi, Adonis; Baronius in Notis, & in Annal. Anastasius Biblioth. Ciaconius cum Auctarijs, & alij quamplures.*

III. KAL. DECEMBRIS.

Viterbij anno 1268. extinctus est Clemens huius nominis IV. in ordine centesimus octogesimus quintus Pontifex Maximus, natione Gallus, doctrina, prudentia, moribus, & vitæ sanctitate præstantissimus, qui Heduuigem Poloniæ Ducissam viduam, miraculis claram in Sanctis

adnu-

adnumerauit, & Bernardum Aiglerium Cardinalium Senatui adscripsit, & quamdiù Pontificatum gessit, nempe per annos tres menses 9. dies 25. perpetuò hoc à se obseruari voluit, nihil nempe inconsultis Cardinalibus facere aut aggredi, & Agnatos suos in Italiam ad conspectum suum venire vetuit, quibus præter exiguam pecuniæ quantitatem nihil largitus est. Sepultus marmoreo tumulo ad Prædicatores in Ecclesia S. Mariæ ad gradus. Vacauit post eius obitum Sedes per annos duos & Menses nouem.

Notæ. 29. Nouembris.

Clemens. *Guido Grossus. Fulcodij filius ante Pontificatum dictus, sedit, vt placet Platinæ, dies 21. supra annum tertium, vt Genebrardo totidem dies supra quintum.*

De Clementis virtutibus tractant S. Antoninus, *Fulgosius, Gissæus, Trithemius, Odericus, Bernardus Guido in* Chronico, *Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Hieronymus Garimbertus, Claudius* Clemens *in Vita, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.*

DECEM-

DECEMBER.

KALENDIS DECEMBRIS.

ROmæ anno ſalutis 1521. ætatis ſuæ 47. Pontificatus octauo dieque 21. animam emiſit Leo X. Pontifex Maximus, in ordine, ducenteſimus vigeſimus primus, patria Florentinus, Laurentij Medicei filius, iudicij in rebus cognoſcendis peracuti, in audiendo patiens, aditu facilis, in dicendo elegans, prudens in ſententijs, altæ indolis, munificentiæ, & liberalitatis incredibilis, qui extinctis bellorum incendijs, quibus Orbis ferè vniuerſus conflagrarat, totum ſe paci componendæ dedit, & ad Principes legatos miſit ad pacem tranquillitatemque Reipublicæ conſtituendam. Cardinales à Iulio dignitate ſpoliatos reſtituit, Synodum ab eodem Laterani inchoatam, & agi, & perfici iuſſit; Tres in Vaticano Porticus Orientem reſpicientes ædificauit, figuris, laquearibuſque expoliuit; Templum ipſum Vaticanum à Iulio II. deceſſore mole maxima incœptum promouit, octo vicibus quinque & quadraginta Cardinales euulgauit, in Sanctis annumerauit Franciſcum Paulenſem Minimorum inſtitutorem; Lutherum hæreticum piorum cœtu amouit, & in puniendis falſarijs, graſſatoribus, proditoribus, paciſque publicis euerſoribus acerbus, in reliquorum criminum animaduerſione humanus & benignus. Poſt obitum tumulum in Vaticana Baſilica habuit

buit vilem, sed qui affixis Poëtarum preciosis, & numquam interituris carminibus eius obitum deplorantium per aliquot annos nobilitatus fuit. è Vaticano ad S. Mariam super Mineruam tempore Pauli III. cadauer translatum, iuxta Clementis VII. corpus marmoreo & eleganti mausolæo conditum. Vacauit Sedes per dies septem, supra Mensem vnum.

Notæ. 1. Decembris.

Leo X. *Ioannes Medices ante Pontificatum nuncupatus, triginta septem annos natus, Petri Cathedram Cardinalium iuniorum opera ascendit, obijtque ex* Panuinio 4. *Nonas Decembris.*

Leonem scriptis celebrant Paulus *Iouius, Felix* Contelorius, *Ludouicus Dominici, Panuinius,* Pla*tina, Ciaconius, eiusdemque Auctarij in Vita, Angelus* Politianus, Petrus *Bembus, Albertus Pighius in Epistolis,* Ianus *Damianus, Io: Baptista Garghas, Io: Camillus Zaccagninus, Io: Mutius Aurelius, Ioseph* Carpanus, *Matthæus Herculanus, Hippolytus Marraccius in Elogijs, Bzouius, Spondanus, alijque omnes, qui historias seculi decimi sexti euulgarunt.*

III. NONAS DECEMBRIS.

In Patriarchio Lateranensi hac die anno post Christum natum 1154. extinctus est Anastasius huius nuncupationis IV. in ordine centesimus septua-

ſeptuageſimus Pontifex, patria Romanus, pacis & quietis publicæ amantiſſimus, Pauperumque Patronus ſingularis, qui plura ad dignitatem Eccleſiæ, tum ad ornatum Vrbis mente deſtinauerat, ſi ei viuere diutius contigiſſet, obijt enim duobus euulgatis Cardinalibus, die 24. poſt menſem quartum, & annum vnum Pontificatus. Corpus in Baſilica Conſtantiniana porphyretico ſepulchro conditum. Vacauit Sedes per diem vnum.

Notæ. 3. Decembris.

Anaſtaſius IV. *Conradus de Suburra, Benedicti Patritij filius anno non completo obijt ex S.Antonino; poſt annos duos, menſes 4. dieſque 24. ſcribit Ioannes Stella.*

Plura de hoc Romano Pontifice habuit Otto Friſingenſis in Vita Federici Imperatoris, Genebrardus, Baronius in Annal. Panuinius, Chronicon Congregationis S. Ruffi, Iacobus Gaulterius in Tabula, Codex Vaticanus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

NONIS DECEMBRIS.

Auenione anno ſalutis 1338. Pontificatus duodeuigeſimo, menſe tertio, die 28. nonagenario maior ex hac vita migrauit Ioannes XXI. dictus XXII. in ordine Pontifex centeſimus nonageſimus octauus; natione Gallus, paruus cor-

Q 2 pore,

pore, animo tamen magnus, & acer ingenio, prudentia, & doctrina insignis, qui Clementinas in quinque libros diuisit, festum Sanctissimæ Trinitatis in Ecclesia instituit, duos Thomas, Episcopum scilicet Herfordiensem, & Aquinatem, nec non Ludouicum Siciliæ Regis filium, Ordinis Seraphici, Episcopum Tolosanum Sanctorum Catalogo inseruit, & quatuor supra triginta viros inter Cardinales cooptauit. Ecclesiam Tolosanam ac Tarraconensem Metropolim constituit, nouas dignitates, & Collegiorum Ordines decreuit; Ordinem Grandimontensem restituit, nouas Militum centurias disposuit, quæ pro Christo in Lusitania dimicantes Saracenis resisterent. Cortonæ in Etruria Episcopum tribuit, Vicecomites Mediolano vi potitos, Ludouicum Bauarum, vti Auctorem calamitatum Italiæ, Nicolaum Estensem, & Passerinum Bonacassium, quia Ecclesiasticam ditionem armis vexabant, excommunicauit, Expeditionem Cruce signatorum in Saracenos promulgauit. Sepultus magna cum funeris pompa in Cathedrali eiusdem Vrbis. Vacauit tum Sedes per dies 15. reliquit hic Pontifex in Ecclesiæ commodum numeratò decem & septem auri milliones cusos, & septem, seu octo rudes & inelaboratos, in ostentationem Pontificiæ potestatis in Republica Christiana.

Notæ.

Notæ. 5.Decembris.

Ioannes. *Iacobus Ossa antea dictus, Caturcensis in Aquitania, patre Arnaldo ex humili genere ortus, cognomine Deiisa, seu de Ossa, obijt ex Platina pridie Nonas Decembris, & vacauit Sedes per dies 17.*

Est Ioannis mentio apud Ægidium Viterbiensem in Annal.S.Antoninum, Oldradum Bononiensem, Genebrardum, Odericum, & Bzouium in Annal.Ptolomæum Lucensem, Hippolytum Marraccium in Pontif.Marianis, Albertinum Mussatum in hist.Augusta, Io: Baptistam Egnatium de exemplis illustrium virorum, Petrum Frizonium in Gallia purpurata, Ciaconium, eiusdemque Auctarios, & alios omnes, qui de Romanis Pontificibus scripserunt.

VIII. IDVS DECEMBRIS.

Aueniones anno post Christum natum 1352. Pontificatus decimo, Mense 7. decessit Clemens huius nominis sextus, in ordine ducentesimus Pontifex, natione Gallus, professione Monachus, vir multæ doctrinæ, compositæque eloquentiæ, liberalis in omnes, officiosus & perhumanus, qui Iubilæum à centesimo ad quinquagesimum astrinxit annum, ipseque primus celebrauit, inter Sanctos Confessores Iuonem Presbyterum Gallum, Aduocatum Pauperum, & Elzearium de Sabran Ariani Comitem recensuit;

Cardinales vndetriginta instituit, hæresim Flagellantium in Vngaria aboleuit, indixit sacram expeditionem in Turcas, Auenionem à Regina Ioanna mercatus est, cuius Maritum Tarentinum Principem cum Vngariæ Rege pacauit, Vicecomitesque cum Florentinis composuit, Sepultus in Cathedrali Auenionensi, inde translatus ad Monasterium Casæ Dei, in quo quondam Monachus & Abbas vixerat. Vacauit Sedes per dies XI.

Notæ. 6. Decembris.

Clemens. *Petrus Rogerius ante Pontificatum nuncupatus, Presbyter Cardinalis SS. Nerei & Achillei sedit ex Platina & Genebrardo Menses sex, diesque duodetriginta supra annum decimum.*

Summis sed debitis laudibus Clementem celebrant Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, Augustinus Patritius de ritibus S.R.E. Sabellicus, Ægidius Viterbiensis, S. Antoninus, Odericus, Papyrius Massonus, Hocsemius, Rebdorfius, Petrus Frizonius, Panuinius Ciaconius, eiusdemque Auctarij in Vita, & alij plures.

VI. IDVS DECEMBRIS.

Romæ anno Dominicæ Natiuitatis 283. Pontificatus 8. Mense 6. die 4. sub Numeriano Imperatore martyrio coronatus est Eutychianus Pontifex

tifex, in ordine duodetrigesimus, natione Etruscus, patria Lunensis, qui trecentos & quadraginta duos Sanctos Martyres manibus suis sepulchro condidit, consecrauitque Episcopos nouem, Presbyteros 14. Diaconos 6. sepultus post obitum in Cœmeterio Callisti. Cessauit Sedes Pontificia per dies nouem.

Ibidem anno 930. extinctus est Stephanus VIII. dictus VII. in ordine Pontifex, centesimus vigesimus septimus, patria Romanus, qui per annos duos, mensem vnum, diesque 15. quibus Rempublicam Christianam administrauit, ita seditionibus vexatus est, vt nihil memoria dignum toto sui Pontificatus tempore agere potuerit, imò in seditionibus mutilatus turpiter in publicum prodire deinde semper erubuit. Sepultus ad Sanctum Petrum. vacauit Sedes per dies duos.

Anno verò 1124. Cœlestinus II. Patria Romanus, ex Presbytero S. Anastasiæ, omnium votis electus Pontifex ad euitandum Schisma, quod præuidebat, eadem die sponte è Throno descendit; cuius exemplo motus Honorius II. æmulus post 12. dies coram Cardinalibus Pontificatum, quem occupauerat & ipse deposuit, dicens se malle iurè Ostiensem, quam iniuria Romanum Episcopatum retinere, quare Cardinales humilitatis eius rationem ducentes factum emendarunt, & de nouo illum in Pontificem legitimum nominarunt. Cœlestinus verò obijt Cardinalis sub eodem Honorio II. Pontifice.

Notæ. 8. Decembris.

Eutychianus. *Marini filius, cuius Pontificatum Anastasius* Bibliothecarius *ad annum nonum extendit; & Luitprandus ad annum vnum, mensem vnum, diemque vnum coarctat.*

De Eutychiano Vide *Martyrologia Romanum, Beda, Vsuardi, Adonis, Baronium in Notis, nec non in Annal. Eusebium, Optatum, Augustinum, Nicephorum in Chronico, Ciaconium cum Auctarijs in Vita, & alios plures.*

Stephanus. *Tendemundi filius.*

De illo Panuinius, Ciaconius, *& reliqui omnes qui historiam Pontificiam descripserunt.*

Cœlestinus. *Theobaldus Buccapecus antea dictus.*

De quo Ciaconius cum Auctarijs in Honorio II.

V. IDVS DECEMBRIS.

Romæ anno salutis 1565. Pontificatus 5. Mense 11. die 15. ritè susceptis Ecclesiæ Sacramentis per manus Caroli Borromei Nepotis ex Sorore, his paulò ante prolatis verbis. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace*, decessit Pius huius nuncupationis IV. in ordine Pontifex ducentesimus duodetrigesimus, patria Mediolanensis, qui Concilio Tridentino reuocato finem imposuit; Abdisu Orientalium trans Euphratem Christiano-

rum

rum Patriarcham obedientiam præstantem, benignissimè excepit, & post instauratos Christianorum mores, ad Romanæ Vrbis ornamenta conuersus, vias restituit antiquas, muniuit nouas; Saloniam aquam, olim Virginem appellatam, in Vrbem reduxit, Leoninam Vrbem muro cinxit, Hadriani arcem propugnaculis fulsit, Palatium Vaticanum triclinijs, testudine, laquearibus exornauit; Capitolij Prætorium ædificauit, Cardinalium Senatum sex supra quadraginta selectissimis viris ditauit; Melitam Insulam Turcarum obsidione vexatam, non pijs solùm precibus, sed milite, comeatu, omnique subsidij genere iuuit: Collegium Germanicum, & Vngaricum in Vrbe instituit, Lauretanum pro Patribus Societatis Iesu stabiliuit, & Thermas Diocletiani Virgini Mariæ, Angelorum Reginæ consecrauit. Post obitum Corpus lateritio tumulo in Vaticana Basilica sepultum, ex ea post aliquot annos ad S. Mariam Angelorum translatum. Vacauit Sedes per dies *26*.

Ibidem anno seculi decimi septimi *69*. cum Rempublicam Christianam pijssimè administrasset per annos duos, menses quinque dies vndeuiginti, extinctus est Clemens huius nominis nonus, in ordine Pontifex ducentesimus quadragesimus secundus; natione Etruscus, patria Pistoriensis, qui Venetos militibus, pecunia, precibusque firmatos animauit ad Cretæ defensionem, bella inter Principes Christianos sedauit,

uit, Gallum Regem Ludouicum XIV. armauit in Traces, subiectos populos imminutis vectigalibus releuauit, & inducta annonæ laxitate refecit, Pauperum miserias liberalitate in via, præsentia in Xenodochijs sæpè recreauit, illisque sæpiùs ministrauit in mensa; Rosam Virginem Peruanam Beatis, Sanctis verò Mariam Magdalenam de Pazzis Monialem Florentinam Carmelitici Ordinis, & Petrum de Alcantara Hispanum Minoritam adscripsit, sacraque purpura duodecim Viros ex multis selectos ornauit; Sepultus post obitum in Vaticano; vacauit Sedes per Menses quatuor, & dies vndeuiginti.

Notæ. 9. Decembris.

Pius IV. *Angelus Medices, Presbyter* Cardinalis *S. Priscæ, ante Pontificatum nuncupatus cuius acta in longum explicant Panuinius in Chronico, Sylvius Antonianus in oratione funebri, Genebrardus, Hippolytus Marraccius in Biblioth.& in Pontif. Marianis, Auctor Romæ subterraneæ, Ludouicus Iacobus à S.Carolo in Bibliotheca Pontificia, Ferdinandus Vghellius in Italia sacra, Hippolytus Capilupus, Ioannes Tonsus, Cornelius Amaltheus in Carminibus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures apud eosdem.*

Clemens IX. *Iulius Rospigliosius, Presbyter* Cardinalis *S.Sixti anteà dictus.*

Plura habent de tanto Pontifice *Auctarij Ciaconij, Patres Soc.Iesu in Opusculo prænotato, Sacra & profana*

fana Romæ obsequia Clementi repræsentata in C. Ilergio Romano, Augustinus Fauoritus in Oratione funebri, & alij multi.

IV. IDVS DECEMBRIS.

Anno Christi 315. Pontificatus 3. Mense 2. die 21. Romæ spiritum Deo reddidit Miltiades Pontifex, in ordine trigesimus tertius, natione Afer, qui in persecutione Maximiani multa passus, pacem Ecclesiæ restituit sub Constantino Cæsare, aras Deo struendo, aris thura, & quæ thure suauius olent apud Superos, preces effundendo in gratiarum actionem. Synodo Romæ celebrata Donatum hæreticum damnauit, Episcopis XII. Presbyteris XIV. & Diaconis V. consecratis morti iam proximus, in hæreditatem miseros, quos vti filios toto vitæ suæ tempore vnicè dilexerat, euocauit. Corpus sepultum via Appia tertio ab Vrbe milliario in Cœmeterio Callisti; vacauit Sedes per dies 17.

Notæ. 10. Decembris.

Miltiades. *alijs Melchiades natione Hispanus, sedit teste Anastasio menses septem, dies 12. supra annum tertium; ex Baronio verò annos duos, totidemque menses, & dies septem, cuius corpus è Cœmeterio, in quo primò conditum, translatum ad Titulum S. Syluestri in Campo Martio.*

Huius Sanctissimi Pontificis vitam descripsit S. Bernar-

nardus Abbas Claraeuallis, *nec non Panuinius, &* Ciaconius. *est eiusdem mentio apud Martyrologium Romanum, Bedam, Vsuardum, Adonem, Eusebium in* Chronico, *Optatum Mileuitanum, Augustinum, Nicephorum, & alios*.

III. IDVS DECEMBRIS.

Anno salutis 384. Pontificatus xvII. Mense tertio, minus tribus diebus decessit *R*omæ Damasus huius nominis primus, in ordine Pontifex duodequadragesimus, cui Hispania cunas dederat, Roma sanctissimos mores, quibus hodie etiam velut lucidissimum sydus Respublica Christiana suspicit propitium, nam qui Christi virtutes dum vixerat, post obitum eiusdem miracula imitatus est. Hic Apollinarem, & alios hæresiarchas in Synodis *R*omæ, & Constantinopoli celebratis damnauit, Petrum Episcopum Alexandrinum fugatum restituit, Sanctorum plurimorum memorias versibus exornauit, contra Vrsicinum Sedis Apostolicæ inuasorem stetit, Hieronymum doctrina præstantem, & sanctitate illustrem virum inter Cardinales cooptauit, sacro oleo Episcopos 62. Presbyteros 31. & Diaconos xI. perunxit. Sepultus via Aredeatina; nostra tamen ætate huius Sancti corpus iacet ad Theatrum Pompeij in Ecclesia S. Laurentij. Cessauit post eius obitum Pontificatus per dies vnum supra triginta.

Notæ.

Notæ. 11. Decembris.

Damasus. *Antonij filius, sedit ex Anastasio Menses 2. dies 10. ex Panuinio dies 11. supra annum duodeuigesimum, ex Platina verò ex Genebrardo Menses tres, diesque vndecim supra vndeuigesimum annum, ex Baronio tamen annos tantùm duodeuiginti, obijtque ex Ciaconio 4. Idus Decembris.*

Est Damasi sanctissimi viri mentio apud Martyrologia omnia, apud Prudentium, Binium, Bellarminum, & alios.

PRIDIE IDVS DECEMBRIS.

Romæ anno post Christum natum 827. extinctus est Eugenius iunior, seu secundus, in ordine Pontifex centesimus primus, patria Romanus, qui Pauperum, Viduarumque causas, & vitam ita tutatus est, vt ab omnibus meritò illorum Pater, & misericors subuentor nominaretur. huius etiam opera captiui omnes vbique Terrarum patriam læti repetiere, quos verò fortunis omnibus spoliatos inuenerat, suis facultatibus sustentauit. Cum itaque his præclaris artibus in Pontificatu tres annos, menses sex, diesque 24. egisset, Synodo in Vrbe celebrata ad corrigendos Ecclesiasticorum mores, collacrymantibus omnibus, & suam vicem potiùs quàm mortem sanctissimi viri dolentibus, cum mors ei ad felicitatem via optatissima esset, abijt è terra.

Sepul-

adnumerauit, & Bernardum Aiglerium Cardinalium Senatui adscripsit, & quamdiù Pontificatum gessit, nempe per annos tres menses 9. dies 25. perpetuò hoc à se obseruari voluit, nihil nempe inconsultis Cardinalibus facere aut aggredi, & Agnatos suos in Italiam ad conspectum suum venire vetuit, quibus præter exiguam pecuniæ quantitatem nihil largitus est. Sepultus marmoreo tumulo ad Prædicatores in Ecclesia S. Mariæ ad gradus. Vacauit post eius obitum Sedes per annos duos & Menses nouem.

Notæ. 29. Nouembris.

Clemens. *Guido Grossus. Fulcodij filius ante Pontificatum dictus, sedit, vt placet Platina, dies 21. supra annum tertium, vt Genebrardo totidem dies supra quintum.*

De Clementis virtutibus tractant S. Antoninus, Fulgosius, Gissæus, Tritbemius, Odericus, Bernardus Guido in Chronico, *Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Hieronymus Garimbertus, Claudius* Clemens *in Vita, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.*

DECEM-

DECEMBER.

KALENDIS DECEMBRIS.

Romæ anno salutis 1521. ætatis suæ 47. Pontificatus octauo dieque 21. animam emisit Leo X. Pontifex Maximus, in ordine, ducentesimus vigesimus primus, patria Florentinus, Laurentij Medicei filius, iudicij in rebus cognoscendis peracuti, in audiendo patiens, aditu facilis, in dicendo elegans, prudens in sententijs, altæ indolis, munificentiæ, & liberalitatis incredibilis, qui extinctis bellorum incendijs, quibus Orbis ferè vniuersus conflagrarat, totum se paci componendæ dedit, & ad Principes legatos misit ad pacem tranquillitatemque Reipublicæ constituendam. Cardinales à Iulio dignitate spoliatos restituit, Synodum ab eodem Laterani inchoatam, & agi, & perfici iussit; Tres in Vaticano Porticus Orientem respicientes ædificauit, figuris, laquearibusque expoliuit; Templum ipsum Vaticanum à Iulio II. decessore mole maxima incœptum promouit, octo vicibus quinque & quadraginta Cardinales euulgauit, in Sanctis annumerauit Franciscum Paulensem Minimorum institutorem; Lutherum hæreticum piorum cœtu amouit, & in puniendis falsarijs, grassatoribus, proditoribus, pacisque publicis euersoribus acerbus, in reliquorum criminum animaduersione humanus & benignus. Post obitum tumulum in Vaticana Basilica ha-

buit vilem, sed qui affixis Poëtarum preciosis, & numquam interituris carminibus eius obitum deplorantium per aliquot annos nobilitatus fuit. è Vaticano ad S. Mariam super Mineruam tempore Pauli III. cadauer translatum, iuxta Clementis VII. corpus marmoreo & eleganti mausolæo conditum. Vacauit Sedes per dies septem, supra Mensem vnum.

Notæ. 1. Decembris.

Leo X. *Ioannes Medices ante Pontificatum nuncupatus, triginta septem annos natus, Petri Cathedram Cardinalium iuniorum opera ascendit, obijtque ex* Panuinio 4.*Nonas Decembris*.

Leonem scriptis celebrant Paulus *Iouius, Felix* Contelorius, *Ludouicus Dominici, Panuinius*, Platina, *Ciaconius, eiusdemque Auctarij in Vita, Angelus* Politianus, Petrus *Bembus, Albertus* Pighius *in Epistolis*, Ianus *Damianus, Io: Baptista Garghas, Io: Camillus Zaccagninus, Io: Mutius Aurelius, Ioseph* Carpanus, *Matthæus Herculanus, Hippolytus Marraccius in Elogijs, Bzouius, Spondanus, alijque omnes, qui historias seculi decimi sexti euulgarunt*.

III. NONAS DECEMBRIS.

In Patriarchio Lateranensi hac die anno post Christum natum 1154. extinctus est Anastasius huius nuncupationis IV. in ordine centesimus septua-

ſeptuageſimus Pontifex, patria Romanus, pacis & quietis publicæ amantiſſimus, Pauperumque Patronus ſingularis, qui plura ad dignitatem Eccleſiæ, tum ad ornatum Vrbis mente deſtinauerat, ſi ei viuere diutius contigiſſet, obijt enim duobus euulgatis Cardinalibus, die 24. poſt menſem quartum, & annum vnum Pontificatus. Corpus in Baſilica Conſtantiniana porphyretico ſepulchro conditum. Vacauit Sedes per diem vnum.

Notæ. 3.Decembris.

Anaſtaſius IV. *Conradus de Suburra, Benedicti Patritij filius anno non completo obijt ex S.Antonino; poſt annos duos, menſes 4. dieſque 24. ſcribit Ioannes Stella.*

Plura de hoc Romano Pontifice habuit Otto Friſingenſis in Vita Federici Imperatoris, Genebrardus, Baronius in Annal. Panuinius, Chronicon Congregationis S. Ruffi, Iacobus Gaulterius in Tabula, Codex Vaticanus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

NONIS DECEMBRIS.

Auenione anno ſalutis 1338. Pontificatus duodeuigeſimo, menſe tertio, die 28. nonagenario maior ex hac vita migrauit Ioannes XXI. dictus XXII. in ordine Pontifex centeſimus nonageſimus octauus; natione Gallus, paruus cor-

pore, animo tamen magnus, & acer ingenio, prudentia, & doctrina insignis, qui Clementinas in quinque libros diuisit, festum Sanctissimæ Trinitatis in Ecclesia instituit, duos Thomas, Episcopum scilicet Herfordiensem, & Aquinatem, nec non Ludouicum Siciliæ Regis filium, Ordinis Seraphici, Episcopum Tolosanum Sanctorum Catalogo inseruit, & quatuor supra triginta viros inter Cardinales cooptauit. Ecclesiam Tolosanam ac Tarraconensem Metropolim constituit, nouas dignitates, & Collegiorum Ordines decreuit; Ordinem Grandimontensem restituit, nouas Militum centurias disposuit, quæ pro Christo in Lusitania dimicantes Saracenis resisterent. Cortonæ in Etruria Episcopum tribuit, Vicecomites Mediolano vi potitos, Ludouicum Bauarum, vti Auctorem calamitatum Italiæ, Nicolaum Estensem, & Passerinum Bonacassium, quia Ecclesiasticam ditionem armis vexabant, excommunicauit, Expeditionem Cruce signatorum in Saracenos promulgauit. Sepultus magna cum funeris pompa in Cathedrali eiusdem Vrbis. Vacauit tum Sedes per dies 15. reliquit hic Pontifex in Ecclesiæ commodum numeratò decem & septem auri milliones cusos, & septem, seu octo rudes & inelaboratos, in ostentationem Pontificiæ potestatis in Republica Christiana.

Notæ.

Notæ. 5.Decembris.

Ioannes. *Iacobus Ossa antea dictus, Caturcensis in Aquitania, patre Arnaldo ex humili genere ortus, cognomine Deiisa, seu de Ossa, obijt ex Platina pridie Nonas Decembris, & vacauit Sedes per dies* 17.

Est Ioannis mentio apud Ægidium Viterbiensem in Annal.S.Antoninum, Oldradum Bononiensem, Genebrardum, Odericum, & Bzouium in Annal.Ptolomæum Lucensem, Hippolytum Marraccium in Pontif.*Marianis, Albertinum Mussatum in hist.Augusta, Io: Baptistam Egnatium de exemplis illustrium virorum, Petrum Frizonium in Gallia purpurata, Ciaconium, eiusdemque Auctarios, & alios omnes, qui de Romanis Pontificibus scripserunt.*

VIII. IDVS DECEMBRIS.

Auenione anno post Christum natum 1352. Pontificatus decimo, Mense 7. decessit Clemens huius nominis sextus, in ordine ducentesimus Pontifex, natione Gallus, professione Monachus, vir multæ doctrinæ, compositæque eloquentiæ, liberalis in omnes, officiosus & perhumanus, qui Iubilæum à centesimo ad quinquagesimum astrinxit annum, ipseque primus celebrauit, inter Sanctos Confessores Iuonem Presbyterum Gallum, Aduocatum Pauperum, & Elzearium de Sabran Ariani Comitem recensuit;

Cardinales vndetriginta instituit, hæresim Flagellantium in Vngaria aboleuit, indixit sacram expeditionem in Turcas, Auenionem à Regina Ioanna mercatus est, cuius Maritum Tarentinum Principem cum Vngariæ Rege pacauit, Vicecomitesque cum Florentinis composuit, Sepultus in Cathedrali Auenionensi, inde translatus ad Monasterium Casæ Dei, in quo quondam Monachus & Abbas vixerat. Vacauit Sedes per dies xi.

Notæ. 6. Decembris.

Clemens. *Petrus Rogerius ante Pontificatum nuncupatus, Presbyter Cardinalis SS. Nerei & Achillei sedit ex Platina & Genebrardo Menses sex, diesque duodetriginta supra annum decimum.*

Summis sed debitis laudibus Clementem celebrant Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, Augustinus Patritius de ritibus S.R.E. Sabellicus, Ægidius Viterbiensis, S. Antoninus, Odericus, Papyrius Massonus, Hocsemius, Rebdorfius, Petrus Frizonius, Panuinius Ciaconius, eiusdemque Auctarij in Vita, & alij plures.

VI. IDVS DECEMBRIS.

Romæ anno Dominicæ Natiuitatis 283. Pontificatus 8. Mense 6. die 4. sub Numeriano Imperatore martyrio coronatus est Eutychianus Pontifex

tifex, in ordine duodetrigesimus, natione Etruscus, patria Lunensis, qui trecentos & quadraginta duos Sanctos Martyres manibus suis sepulchro condidit, consecrauitque Episcopos nouem, Presbyteros 14. Diaconos 6. sepultus post obitum in Cœmeterio Callisti. Cessauit Sedes Pontificia per dies nouem.

Ibidem anno 930. extinctus est Stephanus VIII. dictus VII. in ordine Pontifex, centesimus vigesimus septimus, patria Romanus, qui per annos duos, mensem vnum, diesque 15. quibus Rempublicam Christianam administrauit, ita seditionibus vexatus est, vt nihil memoria dignum toto sui Pontificatus tempore agere potuerit, imò in seditionibus mutilatus turpiter in publicum prodire deinde semper erubuit. Sepultus ad Sanctum Petrum. vacauit Sedes per dies duos.

Anno verò 1124. Cœlestinus II. Patria Romanus, ex Presbytero S. Anastasiæ, omnium votis electus Pontifex ad euitandum Schisma, quod præuidebat, eadem die sponte è Throno descendit; cuius exemplo motus Honorius II. æmulus post 12. dies coram Cardinalibus Pontificatum, quem occupauerat & ipse deposuit, dicens se malle iurè Ostiensem, quam iniuria Romanum Episcopatum retinere, quare Cardinales humilitatis eius rationem ducentes factum emendarunt, & de nouo illum in Pontificem legitimum nominarunt. Cœlestinus verò obijt Cardinalis sub eodem Honorio II. Pontifice.

Notæ. 8. Decembris.

Eutychianus. *Marini filius, cuius Pontificatum Anastasius Bibliothecarius ad annum nonum extendit, & Luitprandus ad annum vnum, mensem vnum, diemque vnum coarctat.*

De Eutychiano Vide Martyrologia Romanum, Beda, Vsuardi, Adonis, Baronium in Notis, nec non in Annal. Eusebium, Optatum, Augustinum, Nicephorum in Chronico, Ciaconium cum Auctarijs in Vita, & alios plures.

Stephanus. *Tendemundi filius.*

De illo Panuinius, Ciaconius, & reliqui omnes qui historiam Pontificiam descripserunt.

Cœlestinus. *Theobaldus Buccapetus antea dictus.*

De quo Ciaconius cum Auctarijs in Honorio II.

V.IDVS DECEMBRIS.

Romæ anno salutis 1565. Pontificatus 5. Mense 11. die 15. ritè susceptis Ecclesiæ Sacramentis per manus Caroli Borromei Nepotis ex Sorore, his paulò ante prolatis verbis. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace*, decessit Pius huius nuncupationis IV. in ordine Pontifex ducentesimus duodetrigesimus, patria Mediolanensis, qui Concilio Tridentino reuocato finem imposuit; Abdisu Orientalium trans Euphratem Christiano-

rum

rum Patriarcham obedientiam præstantem, benignissimè excepit, & post instauratos Christianorum mores, ad Romanæ Vrbis ornamenta conuersus, vias restituit antiquas, muniuit nouas; Saloniam aquam, olim Virginem appellatam, in Vrbem reduxit, Leoninam Vrbem muro cinxit, Hadriani arcem propugnaculis fulsit, Palatium Vaticanum triclinijs, testudine, laquearibus exornauit; Capitolij Prætorium ædificauit, Cardinalium Senatum sex supra quadraginta selectissimis viris ditauit; Melitam Insulam Turcarum obsidione vexatam, non pijs solùm precibus, sed milite, commeatu, omnique subsidij genere iuuit: Collegium Germanicam, & Vngaricum in Vrbe instituit, Lauretanum pro Patribus Societatis Iesu stabiliuit, & Thermas Diocletiani Virgini Mariæ, Angelorum Reginæ consecrauit. Post obitum Corpus lateritio tumulo in Vaticana Basilica sepultum, ex ea post aliquot annos ad S. Mariam Angelorum translatum. Vacauit Sedès per dies 26.

Ibidem anno seculi decimi septimi 69. cum Rempublicam Christianam pijssimè administrasset per annos duos, menses quinque dies vndeuiginti, extinctus est Clemens huius nominis nonus, in ordine Pontifex ducentesimus quadragesimus secundus, natione Etruscus, patria Pistoriensis, qui Venetos militibus, pecunia, precibusque firmatos animauit ad Cretæ defensionem, bella inter Principes Christianos sedauit,

uit, Gallum Regem Ludouicum XIV. armauit in Traces, ſubiectos populos imminutis vectigalibus releuauit, & inducta annonæ laxitate refecit, Pauperum miſerias liberalitate in via, præſentia in Xenodochijs ſæpè recreauit, illiſque ſæpiùs miniſtrauit in menſa; Roſam Virginem Peruanam Beatis, Sanctis verò Mariam Magdalenam de Pazzis Monialem Florentinam Carmelitici Ordinis, & Petrum de Alcantara Hiſpanum Minoritam adſcripſit, ſacraque purpura duodecim Viros ex multis ſelectos ornauit; Sepultus poſt obitum in Vaticano; vacauit Sedes per Menſes quatuor, & dies vndeuiginti.

Notæ. 9. Decembris.

Pius IV. *Angelus Medices, Presbyter Cardinalis S. Priſcæ, ante Pontificatum nuncupatus cuius acta in longum explicant Panuinius in Chronico, Syluius Antonianus in oratione funebri, Genebrardus, Hippolytus Marraccius in Biblioth. & in Pontif. Marianis, Auctor Romæ ſubterraneæ, Ludouicus Iacobus à S.Carolo in Bibliotheca Pontificia, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Hippolytus Capilupus, Ioannes Tonſus, Cornelius Amaltheus in Carminibus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures apud eoſdem.*

Clemens IX. *Iulius Roſpiglioſius, Presbyter Cardinalis S.Sixti anteà dictus.*

Plura habent de tanto Pontifice Auctarij Ciaconij, Patres Soc.Ieſu in Opuſculo prænotato, Sacra & profana

fanæ Romæ obsequia Clementi repræsentata in Collegio Romano, Augustinus Fauoritus in Oratione funebri, & alij multi.

IV. IDVS DECEMBRIS.

Anno Christi 315. Pontificatus 3. Mense 2. die 21. Romæ spiritum Deo reddidit Miltiades Pontifex, in ordine trigesimus tertius, natione Afer, qui in persecutione Maximiani multa passus, pacem Ecclesiæ restituit sub Constantino Cæsare, aras Deo struendo, aris thura, & quæ thure suauius olent apud Superos, preces effundendo in gratiarum actionem. Synodo Romæ celebrata Donatum hæreticum damnauit, Episcopis XII. Presbyteris XIV. & Diaconis V. consecratis morti iam proximus, in hæreditatem miseros, quos vti filios toto vitæ suæ tempore vnicè dilexerat, euocauit. Corpus sepultum via Appia tertio ab Vrbe milliario in Cœmeterio Callisti; vacauit Sedes per dies 17.

Notæ. 10. Decembris.

Miltiades. *alijs Melchiades natione Hispanus, sedit teste Anastasio menses septem, dies 12. supra annum tertium; ex Baronio verò annos duos, totidemque menses, & dies septem, cuius corpus è Cœmeterio, in quo primò conditum, translatum ad Titulum S. Syluestri in Campo Martio.*

Huius Sanctissimi Pontificis vitam descripsit S. Bernar-

nar-

nardus Abbas Claraeuallis, nec non Panuinius, & Ciaconius. est eiusdem mentio apud Martyrologium Romanum, Bedam, Vsuardum, Adonem, Eusebium in Chronico, Optatum Mileuitanum, Augustinum, Nicephorum, & alios.

III. IDVS DECEMBRIS.

Anno salutis 384. Pontificatus XVII. Mense tertio, minus tribus diebus decessit *Romae* Damasus huius nominis primus, in ordine Pontifex duodequadragesimus, cui Hispania cunas dederat, Roma sanctissimos mores, quibus hodie etiam velut lucidissimum sydus Respublica Christiana suspicit propitium, nam qui Christi virtutes dum vixerat, post obitum eiusdem miracula imitatus est. Hic Apollinarem, & alios haeresiarchas in Synodis *Romae*, & Constantinopoli celebratis damnauit, Petrum Episcopum Alexandrinum fugatum restituit, Sanctorum plurimorum memorias versibus exornauit, contra Vrsicinum Sedis Apostolicae inuasorem stetit, Hieronymum doctrina praestantem, & sanctitate illustrem virum inter Cardinales cooptauit, sacro oleo Episcopos *62*. Presbyteros 31. & Diaconos XI. perunxit. Sepultus via Aredeatina; nostra tamen aetate huius Sancti corpus iacet ad Theatrum Pompeij in Ecclesia S. Laurentij. Cessauit post eius obitum Pontificatus per dies vnum supra triginta.

Notae.

Notæ. 11. Decembris.

Damasus. *Antonij filius, sedit ex Anastasio Menses 2. dies 10. ex Panuinio dies 11. supra annum duodeuigesimum, ex Platina verò ex Genebrardo Menses tres, diesque vndecim supra vndeuigesimum annum, ex Baronio tamen annos tantùm duodeuiginti, obijtque ex Ciaconio 4. Idus Decembris.*

Est Damasi sanctissimi viri mentio apud Martyrologia omnia, apud Prudentium, Binium, Bellarminum, & alios.

PRIDIE IDVS DECEMBRIS.

Romæ anno post Christum natum 827. extinctus est Eugenius iunior, seu secundus, in ordine Pontifex centesimus primus, patria Romanus, qui Pauperum, Viduarumque causas, & vitam ita tutatus est, vt ab omnibus meritò illorum Pater, & misericors subuentor nominaretur. huius etiam opera captiui omnes vbique Terrarum patriam læti repetiere, quos verò fortunis omnibus spoliatos inuenerat, suis facultatibus sustentauit. Cum itaque his præclaris artibus in Pontificatu tres annos, menses sex, diesque 24. egisset, Synodo in Vrbe celebrata ad corrigendos Ecclesiasticorum mores, collacrymantibus omnibus, & suam vicem potiùs quàm mortem sanctissimi viri dolentibus, cum mors ei ad felicitatem via optatissima esset, abijt è terra.

Sepul-

Sepultus in Basilica Vaticana, vacauit Sedes per diem vnum.

Notæ. 12. Decembris.

Eugenius. *Böemundi filius, sedit teste Genebrardo, & Panuinio annos 4. Menses 6. dies 24. vel Baronio affirmante, Anastasio, ac* Annalibus *Francorum, menses duos, diesque* 20. *supra annum tertium, oculis verò captus martyrij palmam in* Vrbe *accepit teste S. Antonino.*

Summis laudibus extollunt Eugenium Ciaconius *cum* Auctarijs, *Platina, & alij omnes, qui Pontificum acta explicarunt.*

IDIBVS DECEMBRIS.

Romæ in Patriarchio Lateranensi anno Dominicæ Natiuitatis 1124. Pontificatus 5. Mense x. die 13. de Deo, deque hominibus benemeritus obijt Callistus II. in ordine Pontifex centesimus sexagesimus quartus, natione Gallus, professione Monachus, Vir planè Apostolicus, qui Ecclesiam, Imperatorum Tyrannide seruitutis iugo depressam vindicauit in perpetuam libertatem, Cardinalium Senatum sex & viginti selectissimis viris auxit, Remensem & Lateranensem Synodos celebrauit, virtutibusque omnibus, ac miraculorum signis enituit. Corpus sepulchrum habuit in Basilica Lateranensi; vacauit Sedes per diem vnum.

Nea-

Neapoli anno salutis 1254. Innocentius IV. in ordine centesimus octogesimus secundus Pontifex Maximus, patria Genuensis, multis egregiè factis clarissimus, & ob vendicatam, assertamque libertatem omnibus seculis laudatissimus, extinctus est, cùm sedisset annos XI. menses 5. dies 14. relicta apud omnes fama non modò excellentis scientiæ, sed etiam integritatis vitæ, admirabilisque prudentiæ; nam incendijs bellorum in Italia extinctis, relatisque in Sanctorum numerum Edmundo Anglo Cantuariensi Archiepiscopo, Stanislao Cracouiensi Martyre, Guillelmo Episcopo Briocensi, ac Petro Ordinis Prædicatorum Martyre, Cardinalium sedes tres supra viginti iam pridem vacuas optimis viris repleuit, Ordinique vti proprium insigne pileum rubrum dedit: Fridericum II. in Concilio Lugdunensi cui adfuit, Imperio priuauit, Natiuitatis B. Mariæ octauam instituit, & triginta Sacerdotia in sola Basilica Vaticana de nouo erexit. Pontificum Romanorum primus rosam auream sacrauit, Cruciferorum Ordinem ad antiquum splendorem restituit, ac Placentiæ nobilem Academiam fundauit. Corpus in Ecclesia Cathedrali ibidem conditum. Vacauit eo mortuo Sedes per dies 13.

Notæ. 13. Decembris.

Callistus. *Guido Guillelmi filius, Stephani Burgundiæ Principis frater, Balduini Flandriæ Comitis*

auun-

auunculus, qui affinitatis gradu Reges Francorum, Angliæ, & ipsum Imperatorem attingebat, ex Archiepiscopo Viennensi renuntiatus Pontifex.

De Callisto tractant Guido Monachus Cisterciensis, Petrus Burgianus in hist. Monastica, Trithemius, Petrus Venerabilis, Petrus Cassinas; Suggerius Abbas in Ludouico Crasso, Guillelmus Tyrius de bello sacro, Auctores Galliæ Christianæ & purpuratæ, Guillelmus Malesberiensis, Vincentius Belluacensis, Eginus Abbas, Baronius in Annal. Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, & reliqui omnes Auctores Vitarum Romanorum Pontificum.

Innocentius. *Sinibaldus Fliscus ex Lauaniæ Comitibus, Vgonis, seu Obizonis filius, diuini, humanique iuris consultissimus, sedit auctore Platina menses sex, diesque 12. supra annum vndecimum, obijtque ex Vvadingo 7. ex Parisio verò 8. Idus Decembris.*

Tanti Pontificis laudes non tacuerunt Augustinus Iustinianus in hist. Genuensi, Ioannes Fichardus in Vitis Iurisconsultorum, Hippolytus Marraccius in Biblioth. de Pontif. Marianis. S. Antoninus in Chronico, Nauclerus, Federicus Federici de familia Flisca, Antonius Sanderus in Elogijs Cardinalium, Paulus Panza, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, & alij plures.

XIX. KAL. IANVARII.

Hac die anno post partum Virginis 896 Pontificatus 5. mense 6. die octaua è vita excessit in Vrbe

Vrbe Formosus Pontifex, in ordine centesimus decimus tertius, Ciuis & Episcopus Ostiensis, virtutum, doctrinæque elegantia ac morum probitate commendatus, cuius Pontificatus assiduis Sergij Pseudopontificis sectatorum contentionibus fuit ferè semper vexatus; Sepultus post obitum in Vaticano, cuius ossa inde extracta ab Æmulis in Tyberim proiecta, sed à Piscatoribus inuenta in Basilicam Vaticanam deportata, ipsæ parietum sacræ imagines capitis inclinamento omnes ad vnam illa salutarunt. Vacauit Sedes per dies duos.

Notæ. 14.Decembris.

Formosus. *Leonis filius, omnium primus qui ex Ordine Episcopali Petri Cathedram ascenderit, cum ante ipsum nemo nisi ex Presbytero, vel Diacono Cardinalibus Pontifex Summus factus fuisset. Sedit ex alijs menses 6.diesque 8.supra annum quartum.*

De Formoso tractant præter Ciaconium, eiusdemque Auctarios, Luitprandus Ticinensis, Flodoardus, alijque omnes, qui scripserunt de Romanis Pontificibus.

XVIII. KAL. IANVARII.

Anno salutis humanæ 882.Pontificatus die secunda post decennium è vita excessit in Vrbe Ioannes VIII. in ordine Pontifex centesimus nonus, patria Romanus, qui inter Pontifices singularis Carolum Caluum in Vaticano, & post

eius obitum Ludouicum Balbum filium in Trecensi Synodo, ac Carolum Crassum defuncto Ludouico parente in Vrbe Imperatores Occidentis inunxit, quorum armis fretus Saracenos à Romanis littoribus eiecit, Tusculanos Comites in Pontificem coniuratos fidelium commune priuauit, qui irati concitato tumultu Ioannem in carcerem contruserunt, à quo suorum ope elapsus Gallicis Militibus Comites, eorumque Sectatores in ordinem redegit. Post obitum sepulchrum habuit in Vaticano, vacauit Sedes per dies tres.

Eadem die Pisis quò se Ferraria relicta expeditionem in Infideles pro recuperanda Vrbe Sancta Hierusalem paraturus contulerat, anno salutis 1187. diem clausit extremum Gregorius huius nominis VIII. in ordine Pontifex centesimus septuagesimus quintus, natione Italus, patria Beneuentanus, sapientia, & vitæ sinceritate conspicuus, cum præfuisset Ecclesiæ vniuersali per dies 25. supra mensem vnum. Sepulchro conditus in Cathedrali Pisana; vacauit Sedes per dies 20.

Notæ. 15. Decembris.

Ioannes VIII. *Gundi filius ex Diacono Cardinali renuntiatus Pontifex dictus est Ioannes octauus, non nonus, vt scribit Platina, obijtque ex Panuinio 8. Idus Octobris.*

De hoc Pontifice tractant Eginhardus in Annal.

Anna-

Annales Fuldenses, Fragmenta historiæ Franciæ, Aubertus Miræus in Biblioth. Baronius in Annal.Eccles. Ciaconius cum reliquis.

Gregorius VIII. *Albertus ante Pontificatum nuncupatus, filius Sertorij à Mora, alijs Spanadrionis Monachus Benedictinus, ex Presbytero Cardinali, & Apostolicæ Sedis Cancellario electus Pontifex, obijt ex Baronio 17. ex Panuinio verò 8. Kal. Ianuarij.*

Huius acta euulgarunt Gregorius Polydorus, Gerardus Vossius, Petrus Blessensis, Ciaconius, cum Auctarijs, S. Antoninus, & alij plures.

XVII. KAL. IANVARII.

Apud arcem Fumonis anno salutis 1128. in carcere extinctus est Mauritius Burgundinus, Hispanus, alijs Gallus, qui Henrici Imperatoris opera Petri Sedem inuaserat, & sub nomine Gregorij VIII. annos plurimum, minimumue quatuor Ecclesiam afflixerat contra Gelasium, Callistum, & Honorium, horum nominum secundos.

Notæ. 16. Decembris.

Mauritius. *ex Archiepiscopo Conimbricensi ab Episcopis Henrici Cæsaris fautoribus electus post iniustam priuationem Gelasij secundi.*

De hoc Panuinius, Baronius in Annal. Ciaconius, & alij.

XIV.KAL. IANVARII.

Anno à partu Virginis 972. in Vrbe extinctus est Donus, alijs Domnus II. in ordine Pontifex centesimus trigesimus sextus, patria Romanus, qui tantæ modestiæ fuit, vt, etsi nihil in Pontificatu breui gesserit, non enim sedit nisi per menses tres, omnium tamen amorem, beneuolentiamque assecutus sit. post cuius obitum neque per diem vacauit Sedes, postridie enim euulgatus est successor.

Eadem die anno 1370. Auenione cessit è Vita Vrbanus huius nominis V. in ordine secundus supra ducentesimum Pontifex Maximus, natione Gallus, Sedis suæ mense secundo, dieque 23. supra annum octauum, vir singularis virtutis, & ingentis animi doctrina, & pietate clarus, cuius innocentissimam vitam miracula plurima post obitum patrata illustrarunt. hic euulgatis quindecim Cardinalibus, SS. Apostolorum Petri, & Pauli capita in argenteis statuis inclusa in Laterano collocauit, Ordines Monachorum S. Hieronymi in Hispania, Iesuatorum Senis à Ioanne Columbino, Oliuetanorum, ac Mulierum à Brigitta Sueciæ Principe, institutos, confirmauit. cuius ossa iacent Massiliæ in Ecclesia Monasterij S. Victoris, in quo olim vixerat Monachus, & Abbas. Vacauit Cathedra per dies nouem.

Notæ.

Notæ. 19. Decembris.

Donus. *ab aliquibus Domnio nuncupatus, sedit ex Ioanne Stella contra omnes Scriptores, menses sex supra annum vnum.* Alij hunc inter Pontifices non-*numerant, cum re vera legitima electione rexerit Ecclesiam.*

Meminere huius Pontificis Panuinius, Ciaconius, Baronius, & alij plures apud eosdem.

Vrbanus V. *Guillelmus Grisatus, Grimaldi viri militaris filius, electus absens, & extra Collegium Cardinalium, sedit ex Panuinio; ac* S. *Antonino annos tantum octo, ex Platina verò menses 4. supra annum octauum, ex alijs annos septem, menses duos, & dies 24. seu mensem vnum, dies 13. vel 23. supra octennium.*

Est mentio sanctitatis Vrbani apud Martyrologium Benedictinorum, Gallicanum, Philippi Ferrarij, Baronium in Annal. *Panuinium, Ciaconium cum* Auct*arijs, Platinam, Petrarcam, & alios.*

XIII. KAL. IANVARII.

Anno Domini 1046. Sutrij in Synodo Gregorius VI. nobilis Romanus, vir magnæ religionis, & seueritatis post annum vnum, menses septem, & dies 20. vt Accusatorum insidias euitaret Pontificatum deposuit, & exul in Germaniam se recepit; in eius electione pecuniam intercessisse, ideoque vitiatam Aduersarij affirmabant.

Notæ. 20. Decembris.

Gregorius. *Ioannes Gratianus antea, & postea dictus, reijcitur ab aliquibus è numero Pontificum, ab alijs vti legitimus recipitur, quare non sine iniuria è Sede eiectum volunt illi, qui inter Pontifices Gregorium recensent.*

Vide Baronium, Panuinium, Platinam, Ciaconium, eiusdemque Auctarios, Leonem Marsicanum, Guillelmum Bibliothecarium, & alios plures.

XI. KAL. IANVARII.

Florentiæ anno post Christum natum 1419. obijt Balthassar Cossa patria Neapolitanus, Episcopus Cardinalis Tusculanus, & sacri Collegij Decanus, qui sub nomine Ioannis XXII. alijs XXIII. per annos 5. diesque 15. Republica Christiana administrata, ad extinguendum Schisma in Ecclesia, Pontificatum abdicauerat, ibique in Baptisterio S. Ioannis sepulchro marmoreo eleganti sepultus; vir maximo fortunæ ludibrio vexatus, & ingens vicissitudinis humanæ exemplum.

Notæ. 22. Decembris.

Balthassar. *post abdicationem Pontificatus vixit Episcopus Cardinalis annos 4. Menses 6. dies 24. in publicis functionibus ob memoriam Romani Pontificatus, quem iustè possederat, sedebat prope Pontificem*

cem in sede eminentiori, omnium Cardinalium primus.

Meminit Ioannis Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui omnes, qui de Romanis Pontificibus scripsere.

IX. KAL. IANVARII.

Anno post partum Virginis 907. Christophorus huius nominis primus, patria Romanus, qui pulso Leone V. Petri Cathedram inuaserat, septimo mense à Throno vi exturbatus, in Claustrum relegatus est, ex quo à Sergio III. extractus, atque in carcerem inclusus. paulò post diem supremum obijt. Post mortem in Vaticana Basilica conditus.

Notæ. 24. Decembris.

Christophorus. *ex Patre Leone natus Presbyter Cardinalis.*

Est huiusce mentio apud Panuinium, Ciaconium, Baronium, & alios.

VII. KAL. IANVARII.

Romæ anno virginei partus 272. Pontificatus XI. mense 3. die 14. beato fine quieuit Dionysius Pontifex, in ordine vigesimus sextus, natione Calaber, qui Parochias in Vrbe, & foras dioeceses diuisit, Romæ Synodum celebrauit, Episcopos 7. Presbyteros 12. Diaconos sex sacro

inunxit oleo, multisque pro Ecclesia impensis, laboribus, fidei documentis clarus effulsit. Sepultus in Cœmeterio Callisti via Appia, tertio ab Vrbe milliario, ex quo ad Ecclesiam S. Siluestri de Capite progressu temporis translatus. Vacauit Sedes per dies quinque.

Ibidem anno 418.cum sedisset annum vnum, menses 4.dies 6.extinctus est Zosimus Pontifex in ordine quadragesimus secundus,natione Græcus, vir sanctitate clarus, & in purgandis hæresibus Pelagianorum admirabilis prudentiæ, qui consecratis Episcopis 8.Presbyteris 10.Diaconis 3. vetuit, ne Serui in Clerum reciperentur, statuitque vt Diaconi læuas Linostinis tegerent. Post obitum sepultus via Tiburtina, in Basilica SS.Martyrum Laurentij, & Stephani extra muros. Vacauit Sedes per diem vnum.

Anno verò 795. Ibidem viuendi finem fecit Hadrianus huius nominis primus, in ordine nonagesimus septimus Pontifex, patria Romanus, magnitudine animi, consilio, doctrina, & sanctitate vitæ cum quouis optimo Pontifice conferendus. Nemo post Petrum diutius in Pontificatu, quàm Hadrianus hic vixit, sedit enim annos 23.Menses x.dies 17.quo tempore nihil prætermisit, quod ad bonum & optimum Principem pertineret, nam & religionem Christianam, & libertatem Ciuium, & vitam pauperum, pupillorum, ac viduarum accerrimè semper tutatus est. ordinauit 185. Episcopos, Presbyteros 24. Diaconos 7.hac etiam in re inter reliquos felicissimus

ſimus quia Merciorum, Gallorum, Bulgarorum, Saxonumque Regna, Eccleſiæ Romanæ non modo ſubiecta, ſed tributaria viderit. Corpus B. Pauli laminis argenteis incluſum condidit, eiuſdemque Eccleſiæ atrium ſectis marmoribus ſtrauit; Aquæ ductus quàmplurimos ſumptu propè immenſo reſtaurauit, Alſietinum via Claudia, Iulium via Latina, Claudium via Sublacenſi, Aquæ virginis via Collatina, aquam etiam ex lacu Sabatino via Aurelia ex Ianiculo in Vaticanum deduxit. Præterea inſtituit vt centum Pauperes ſingulis diebus in Aula Lateranenſi accumberent. Carolus Cæſar tanti Pontificis obitum moleſtiſſimè tulit atque defleuit ac ſi fratrem, aut amatiſſimum filium, patremue amiſiſſet, eique ſcripſit Epitaphium in Vaticano. die ſequenti electus eſt ſucceſſor.

Notæ. 26. Decembris.

Dionyſius. *ex Monacho Presbyter Romanæ Eccleſiæ, atque ex Presbytero Pontifex, ſedit ex Damaſo, & Platina annos ſex, menſes duos, ex Panuinio annos decem & menſes nonnullos, ex* Anaſtaſio *verò Bibliothecario menſes tres, & dies ſeptem ſupra annos duos.*

Præter laudatos celebrant Dionyſium Martyrologium Romanum, Vſuardus, Beda, Euſebius in Chronico, Optatus, Auguſtinus *epiſt.* 165. *Hieronymus de Script. Eccleſ. in Dionyſio Alexandrino, Nicephorus Epiſc. in* Chronico*, Baronius in Notis ad Martyrologium, & in Annal. Ciaconius cum*

Aucta-

Auctarijs, & alij quamplures.

Zosimus. *Abrahami filius ex Magna Græcia, rexit Ecclesiam teste Anastasio, Menses octo, dies 25. ex Platina menses tres diesque 12. supra annum vnum.*

De hoc Martyrologium Romanum, Beda, Baronius in Notis, & in Annal. Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui, qui tractarunt de Romanis Pontificibus.

Hadrianus I. *Theodori filius de regione via Lata ex Diacono Cardinali renuntiatus Pontifex.*

Leander Albertus in descriptione Italiæ narrat Hadrianum in Nonantulana Abbatia iacere, illumque Incolas eiusdem venerari vt Sanctum, eiusque festiuitatis diem singulis annis celebrare 8. Idus Iulij.

Meminere Hadriani Tabulæ Nonantulanæ, Baronius in Annal. Anastasius Bibliothecarius, Ciaconius, eiusdemque Auctarij, & alij multi.

VI. KAL. IANVARII.

Anno Dominicæ Natiuitatis 955. Pontificatus mense sexto, die decima supra nouennium Romæ è vita excessit Agapetus, alijs Agapitus II. seu iunior, in ordine Pontifex centesimus trigesimus secundus, patria Romanus, innocentis vitæ vir, & gregis sibi commissi vigilantissimus Pastor, qui Basilicas Vrbis restaurauit, Monachis præcipuè Cassinensibus priuilegia plura concessit, Synodum in Vrbe celebrauit, in qua Hugonis Principis Francorum damnationem confirmauit, illumque è piorum numero

eie-

eiecit, donec Ludouico Regi Gallico satisfa-ctum esset. Apostolicæ enim Sedi hoc in more semper fuit ab afflictis Regibus stare, & causam miserorum, plerumque suam facere. Huius corpus sepulturæ traditum in Laterano, vacauit Sedes per dies vndecim.

Notæ. 27. Decembris.

Agapetus. *sedit affirmante Baronio, annos decem, menses & dies item decem, seu ex alijs, Menses decem, totidemque dies supra nouennium.*

De hoc plura habent Flodoardus in Annal. Saxo Grammaticus in hist. Danica, Hugo Abbas Flauiniacensis in Chronico Virdunensi, Auctor vitæ Ioannis Garziæ Abbatis, Ioannes Stella, Panuinius, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

V. KAL. IANVARII.

Hac die Romæ anno salutis 914. Pontificatus Mense 6. die 22. mortuus est Landus, patria Sabinus, in ordine Pontifex centesimus vigesimus quartus, qui illicò auctoritatem suam interposuit, quò minus Berengarius, & Rodulphus Comitis Guidonis filij decertarent. Sepultus apud Vaticanum, vacauit Sedes per dies 26.

Notæ. 28. Decembris.

Landus. *Trani filius sedit Menses quatuor, & non-*

& nonnullos dies ex alijs.

De illo Ioannes Stella, Panuinius, Auctor Romæ subterraneæ, S. Antoninus, Iacobus Gaulterius, Ciaconius, & alij.

III. KAL. IANVARII.

Anno post Christum natum 1590. Pontificatus Mense secundo in Vrbe mortem obijt Innocentius IX. in ordine ducentesimus trigesimus quartus Pontifex Maximus, patria Bononiensis, doctrina clarus, & incorruptæ vitæ laude omnibus notus, qui altero post creationem die concilium habuit annonæ consulturus, & renouato pristino more ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Primates literas dedit, quibus suam ad Pontificatum promotionem significabat, vtque pijs cum precibus apud Deum iuuarent, precabatur. ad seditiones sedandas, ciuilesque controuersias componendas animum applicuit, de Ethnicis ad Catholicam fidem conuertendis, de hæresibus euellendis, de succurrendo Regi Gallico contra hæreticos singulis diebus cum Cardinalibus egit, quorum Senatum duobus viris selectissimis auxit. Corpus sepulturæ traditum in Vaticano, vacauit post eius obitum per dies 30. Sedes.

Notæ. 30. Decembris.

Innocentius. *Io. Antonius Facchinettus ante Pontificatum nuncupatus, Antonij nobilis Bononiensis*

ſis filius, obijt ex alijs Kal. Ianuarij.

Celebrant Innocentium Auctarij Ciaconij, Antonius Ceccarellus, Io: Antonius Petramellarius, Seuerinus Binius Tomo vltimo Conciliorum, Innicus Mendozius in oratione obedientiæ, Poſſeuinus, Andreas Duſchenius, Antonius Sanderus libro de claris Antonijs, Benedictus Iuſtinianus in Oratione funebri, Laurentius Berlinck in opere Chronologico, & alij plures.

PRIDIE KAL. IANVARII.

Romæ anno Christi 335. Pontificatus 21. die prima, ſeu quarta ſumma ſenectute, cum eſſet ſanctitatis, ſanctèque factorum & virtutum admirandarum laude clarus, deque Eccleſia optimè meritus, corporis vinculis ſolutus ad præmium euolauit æternum Silueſter huius nominis primus, in ordine trigeſimus quartus Pontifex Maximus, patria Romanus, qui baptiſmatis fonte luſtrauit Conſtantinum Magnum, & nobiliſſimam Virginem Calpurnij Vrbis Præfecti filiam, Romanam nomine, cuius natalis dies Tabulis eccleſiaſticis adſcriptus anniuerſaria commemoratione in Eccleſia recolitur. Synodum Romæ conuocauit, & Nicænam confirmauit, ordinauitque Epiſcopos 65. Presbyteros 42. Diaconos 26. nec non decreuit, vt Chriſma ab Epiſcopo tantùm conſecraretur, vtque Presbyter inſtante morte, oleo ſancto Chriſtianos liniret; vetuit etiam, ne laicus in iudicium vocaret Clericum,

neue

neue Clericus coram feculari Iudice litem agitaret, vt Diaconus ad celebrandum Dalmatica & palla læua impofita vteretur, vtque Sacerdos celebraturus lineas veftes, eafque candidas adhiberet. Cuius corpus poft obitum conditum in Cœmeterio Prifcillæ via Salaria tertio ab Vrbe milliario, inde à Sergio II. ad Titulum Equitij ab ipfo Silueftro erectum, tranflatum eft. Vacauit Sedes per dies 15.

Nuceriæ in Vmbria circa annum Chrifti 500. in fchifmate obijt Cœlius Laurentius Epifcopus Nucerinus, qui Fefti Patritij opera in gratiam Anaftafij Imperatoris Petri Sedem per annum vnum, & menfes aliquot occupauerat.

Anno verò 895. Romæ extinctus eft Bonifacius VI. in ordine Pontifex, centefimus decimus quartus, cum fediffet in Petri Cathedra quindecim tantùm dies; quare ob Pontificatus breuitatem nihil de eo memoria dignum inuenitur. Sepultus apud S.Petrum, vacauit Sedes per dies quinque.

Hac eadem die Auerfæ in Campania, in Monafterio S.Laurentij anno falutis humanæ 1102. moritur Albertus Pfeudodiaconus Cardinalis, qui inuadens Petri Cathedram per menfes quinque contra Pafchalem II. dictus fuit Apoftolicus.

Anno verò 1012. incertum; quo die, menfeue Gregorius quidam, qui Romanorum fretus potentia, contra facros Canones Petri Sedem in Benedictum VII. dictum VIII. occupauerat, poft ali-

aliquot menses ad euitandas Henrici Cæsaris iras occupatam Sedem & Vrbem dereliquit.

Notæ. 31. Decembris.

Siluester. *Rufini, ac Iustæ sanctissimæ mulieris filius, sedit ex Panuinio in Chronico annos 23. Menses 10. dies 12. vel ex Anastasio 11. ex Adone verò Viennensi, Platina, & Genebrardo dies 4. supra 20. annum, ex Nicephoro annos 28. ex alijs Menses & dies aliquot supra 24. annum; vel demum aliquorum sententia annos 19. cuius pars corporis reposita est à Paulo I. Pontifice in Ecclesia SS. Stephani, & Siluestri Pontificum à se erecta in* Campo *martio.*

Memoriam tanti Pontificis celebrant Martyrologium Romanum, Menologium Græcorum, Beda, Vsuardus, Baronius in Notis, & in Annal. Eusebius in Chronico, Optatus; contra Parmen. Augustinus *epist. 165. Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures apud eosdem.*

Cœlius Laurentius. *electus in Basilica Liberiana contra Symmacum Pontificem.*

De quo S. *Gregorius in Dialogis lib. 4. Baronius in* Annal. Ciaconius, *& Panuinius, alijque plures.*

Bonifacius. *Hadriani Episcopi ex legitimo matrimonio filius.*

Cuius *meminere S.*Antoninus, *Panuinius, Ciaconius; alij tamen vt Baronius, Bonifacium reijciunt à numero Pontificum.*

Alber-

Albertus. *natus Atellis, quæ hodie Auersa dicitur, eunlgatus Pseudocardinalis à Clemente III. Antipapa, a Militibus Paschalis Pontificis captus, dum ad Vrbem accederet, Pontificatu se abdicare coactus, relegatus est in Monasterium S. Laurentij.*

De hoc agunt Ciaconius, Pandulphus Pisanus, & alij in Vita Paschalis II.

Gregorius. *cuius præter nomen nulla extat memoria.*

Vide Ciaconium, Panuinium, Ranuccium Picum in Speculo Principum & alios.

LAVS DEO.

INDEX

INDEX
SVMMORVM PONTIFICVM
SERIE LITERARVM.

A

S. ABundius Eleutherius. 26. Maij.
S. Abundius Zephyrinus vide Zephyrinus
Adeodatus. 26. Iunij.
S. Agapetus I. 21. Maij.
Agapetus II. 27. Decembris.
S. Agatho. 10. Ianuarij.
S. Alexander I. 3. Maij.
Alexander II. 22. Aprilis.
Alexander III. 27. Augusti.
Alexander IV. 25. Maij.
Alexander V. 3. Maij.
Alexander VI. 18. Augusti.
Alexander VII. 22. Maij.
S. Anacletus. 13. Iulij.
S. Anastasius I. 27. Aprilis.
Anastasius II. 19. Nouembris.
Anastasius III. 4. Iunij.
Anastasius IV. 3. Decembris.
S. Anicetus. 17. Aprilis.
S. Antherus. 3. Ianuarij.

Pseudopontificum.

Anacletus II. 7. Ianuarij.
Anastasius. 29. Septembris.
Apostolicus. 31. Decembris.

B

Pontificum.

S. BEnedictus I. 31. Iulij.
Benedictus II. 15. Maij.
Benedictus III. 26. Februarij.
Benedictus IV. 5. Aprilis.
Benedictus V. alijs VI. 4. Iulij.
Benedictus VI. alijs VII. 30. Martij.
Benedictus VII. alijs VIII. 10. Iulij.
Benedictus VIII. alijs IX. 1. Maij.
Benedictus X. alijs XI. 7. Iulij.
Benedictus XI. alijs XII. 25. Aprilis.
S. Bonifacius I. 25. Octobris.
Bonifacius II. 17. Octobris.
Bonifacius III. 12. Nouembris.
S. Bonifacius IV. 25. Maij.
Bonifacius V. 25. Octobris.
Bonifacius VI. 31. Decembris.
Bonifacius VII. 21. Iulij.
Bonifacius VIII. 11. Octobris.
Bonifacius IX. 1. Octobris.

Pseu-

Pseudopontificum.

Benedictus VII. 10. Iunij.
Benedictus IX. dictus X. 24. Ianuarij.
Benedictus XII. dictus XIII. 23. Maij.
Bonifacius VII. Vide Pontifices sub eodem nomine.

C

Pontificum.

CÆlius Hormisda, vide Hormisda.
Cælius Siluerius, vide Siluerius.
Cælius Symmachus, vide Symmachus.
S. Cæleſtinus I. 6. Aprilis.
Cæleſtinus II. 8. Decembris.
Cæleſtinus III. dictus II. 9. Martij.
Cæleſtinus IV. dictus III. 7. Ianuarij.
Cæleſtinus V. dictus IV. 8. Octobris.
S. Cæleſtinus VI. dictus V. 19. Maij.
S. Caius. 22. Aprilis.
S. Calliſtus. 14. Octobris.
Calliſtus II. 13. Decembris.
Calliſtus III. 6. Auguſti.
S. Calpurnius Pontianus. vide Pontianus.
Chriſtophorus I. 24. Decembris.
S. Clemens I. 23. Nouembris.
Clemens II. 15. Octobris.
Clemens III. 25. Martij.
Clemens IV. 29. Nouembris.

Clemens V. 20. Aprilis.
Clemens VI. 6. Decembris.
Clemens VII. 25. Septembris.
Clemens VIII. 7. Martij.
Clemens IX. 9. Decembris.
S. Cletus. 26. Aprilis.
S. Concordius Soter. 22. Aprilis.
Conon. 21. Septembris.
Conſtantinus I. 11. Februarij.
Conſtantinus Marinus. vide Marinus.
S. Cornelius. 14. Septembris.

Pſeudopontificum.

Calliſtus III. 29. Auguſti.
Chriſtophorus I. vide Superius.
Clemens III. 2. Septembris.
Clemens VII. 16. Septembris.
Clemens VIII. 26. Iulij.
Cœlius Laurentius. 31. Decembris.
Conſtantinus. 15. Auguſti.

D

Pontificum.

S. DAmaſus. 11. Decembris.
DamaſusII. 10. Auguſti.
S. Deuſdedit. 8. Nouembris.
S. Dionyſius. 26. Decembris.
Donus ſiue Domnus I. 11. Aprilis.
Donus vel Domnus II. 19. Decembris.

Pſeu-

Pseudopontificum.

Dioscorus. 12. Nouembris.

E

Pontificum.

S. ELeutherius. vide Abundius Eleutherius.
S. Euaristus. 26. Octobris.
S. Eugenius I. 2. Iunij.
Eugenius II. 12. Decembris.
Eugenius III. 9. Iulij.
Eugenius IV. 23. Februarij.
S. Eusebius. 26. Septembris.
S. Eutychianus. 8. Decembris.

Pseudopontificum.

Eulalius. 2. Aprilis.

F

Pontificum.

S. FAbianus. 20. Ianuarij.
S. Felix I. 30. Maij.
S. Felix II. alijs III. 25. Februarij.
S. Felix III. alijs IV. 12. Octobris.
Formosus. 14. Decembris.

Pseudopontificum.

Felix. 11. Nouembris.
Felix IV. dictus V. 13. Ianuarij.

G

Pontificum.

S. Gelasius I. 21. Nouembris.
Gelasius II. 29. Ianuarij.
S. Gregorius I. 12. Martij.
S. Gregorius II. 11. Februarij.
S. Gregorius III. 28. Nouembris.
Gregorius IV. 25. Ianuarij.
Gregorius V. 18. Februarij.
Gregorius VI. 20. Decembris.
S. Gregorius VII. 25. Maij.
Gregorius VIII. 15. Decembris.
Gregorius IX. 22. Augusti.
Gregorius X. 11. Ianuarij.
Gregorius XI. 27. Martij.
Gregorius XII. 4. Iulij.
Gregorius XIII. 10. Aprilis.
Gregorius XIV. 15. Octobris.
Gregorius XV. 8. Iulij.

Pseudopontificum.

Gregorius. 31. Decembris.

Gregorius VIII. 16. Decembris.
Guido Cremensis. vide Paschalis III.

H

Pontificum.

HAdrianus I. 26. Decembris.
Hadrianus II. 1. Nouembris.
Hadrianus III. 9. Maij.
Hadrianus IV. 1. Septembris.
Hadrianus V. 21. Augusti.
Hadrianus VI. 24. Septembris.
S. Hilarus. 17. Augusti.
Honorius I. 13. Octobris.
Honorius II. 16. Februarij.
Honorius III. 18. Martij.
Honorius IV. 3. Aprilis.
S. Hormisda. 6. Augusti.
S. Hyginus. 11. Ianuarij.

Pseudopontificum.

Honorius II. 13. Aprilis.

I

Pontificum.

S. IGinus. vide Hyginus.
S. Innocentius I. 28. Iulij.

Innocentius II. 24. Septembris.
Innocentius III. 20. Iulij.
Innocentius IV. 13. Decembris.
Innocentius V. 22. Iunij.
Innocentius VI. 12. Septembris.
Innocentius VII. 6. Nouembris.
Innocentius VIII. 25. Iulij.
Innocentius IX. 30. Decembris.
Innocentius X. 7. Ianuarij.
S. Ioannes I. 27. Maij.
Ioannes II. 26. Iunij.
Ioannes III. 13. Iulij.
Ioannes IV. 13. Octobris.
Ioannes V. 3. Augusti.
Ioannes VI. 7. Ianuarij.
Ioannes VII. 17. Octobris.
Ioannes VIII. 15. Decembris.
Ioannes IX. 23. Septembris.
Ioannes X. 7. Aprilis.
Ioannes XI. 25. Octobris.
Ioannes XII. 14. Maij.
Ioannes XIII. 6. Septembris.
Ioannes XIV. 16. Martij.
Ioannes XV. 10. Februarij.
Ioannes XVI. 25. Augusti.
Ioannes XVII. 31. Octobris.
Ioannes XVIII. 18. Iulij.
Ioannes XIX. 8. Nouembris.
Ioannes XX. dictus XXI. 16. Maij.
Ioannes XXI. dictus XXII. 5. Decembris.
Ioannes XXII. dictus XXIII. 22. Decembris.

S.Iu-

S. Iulius I. 12. Aprilis.
Iulius II. 21. Februarij.
Iulius III. 23. Martij.

Pseudopontificum.

Ioannes XVII. 3. Iunij.
Ioannes. 24. Aprilis.
Ioannes Stumiensis. vide Callistus III. Pseudopontifex.

L

Pontificum.

Landus. 28. Decembris.
S. Leo I. 11. Aprilis.
S. Leo II. 28. Iunij.
Leo III. 12. Iunij.
S. Leo IV. 27. Iulij.
Leo V. 24. Maij.
Leo VI. 23. Octobris.
Leo VII. 6. Maij.
Leo IX. 26. Aprilis.
Leo X. 1. Decembris.
Leo XI. 27. Aprilis.
Liberius. 24. Septembris.
S. Linus. 23. Septembris.
S. Lucius I. 4. Martij.
Lucius II. 25. Februarij.
Lucius III. 25. Nouembris.

Pseudopontificum.

Leo VIII. 17. Martij.

M

Pontificum.

S. MArcellinus. 26. Aprilis.
S. Marcellus I. 16. Ianuarij.
Marcellus II. 30. Aprilis.
S. Marcus. 7. Octobris.
S. Marinus I. 18. Ianuarij.
Marinus II. 15. Maij.
S. Martinus I. 12. Nouembris.
Martinus II. 29. Martij.
Martinus III. dictus V. 21. Februarij.
S. Melchiades. 10. Decembris.

N

Pontificum.

S. NIcolaus I. 13. Nouembris.
Nicolaus II. 3. Iulij.
Nicolaus III. 22. Augusti.
Nicolaus IV. 4. Aprilis.
Nicolaus V. 24. Martij.

Pseudopontificum.

Nicolaus V. 25. Augusti.
Nouatianus. 15. Septembris.

P

Pontificum.

S. PAschalis I. 14. Maij.
Paschalis II. 21. Ianuarij.
S. Paulus I. 28. Iunij.
Paulus II. 28. Iulij.
Paulus III. 10. Nouembris.
Paulus IV. 18. Augusti.
Paulus V. 28. Ianuarij.
Pelagius I. 2. Martij.
Pelagius II. 8. Februarij.
S. Petrus Apostolus. 29. Iunij.
S. Pius II. 11. Iulij.
Pius II. 16. Augusti.
Pius III. 18. Octobris.
Pius IV. 9. Decembris.
Pius V. 1. Maij.
S. Pontianus. 19. Nouembris.

Pseudopontificum.

Paschalis I. 17. Ianuarij.
Paschalis II. 21. Ianuarij.

Pascha-

Paſchalis III. 24. Auguſti.
Philippus. 1. Iulij.
Petrus Romanus. 7. Septembris.

R

Pontificum.

ROmanus. 19. Auguſti.
Ruſticus Agapetus. vide Agapetus.

S

Pontificum.

SAbinianus. 19. Februarij.
S. Sergius I. 9. Septembris.
Sergius II. 12. Aprilis.
Sergius III. 9. Aprilis.
Sergius IV. 29. Maij.
Seuerinus. 2. Auguſti.
S. Siluerius. 20. Iunij.
S. Silueſter I. 31. Decembris.
S ilueſter II. 12. Maij.
S. Simplicius. 2. Martij.
Siſinius. 6. Nouembris.
S. Sixtus I. 6. Aprilis.
S. Sixtus II. 6. Auguſti.
S. Sixtus III. 28. Martij.
Sixtus IV. 12. Auguſti.
Sixtus V. 27. Auguſti.

S. Soterus. vide Concordius Soter.
S. Stephanus I. 2. Augusti.
Stephanus II. 31. Martij.
Stephanus III. 26. Aprilis.
Stephanus IV. 31. Ianuarij.
Stephanus V. 25. Ianuarij.
Stephanus VI. 21. Maij.
Stephanus VII. 24. Martij.
Stephanus VIII. 8. Decembris.
Stephanus IX. 21. Octobris.
Stephanus X. dictus XI. 29. Martij.
S. Symmachus. 19. Iulij.
S. Syricius. 22. Februarij.

Pseudopontificum.

Sergius. vide superius Sergius III.
Siluester III. 11. Martij.
Siluester IV. 9. Februarij.

T

Pontificum.

S. THelesphorus. 5. Ianuarij.
Theodorus I. 14. Maij.
Theodorus II. 8. Septembris.

Pseudopontificum.

Theodorus. 22. Octobris.

Theodoricus. vide Clemens III. Pseudopont.
Theophylactus. 23. Aprilis.

V

Pontificum.

VAlentinus. 23. Ianuarij.
S. Victor I. 28. Iulij.
Victor II. 28. Iulij.
Victor III. 16. Septembris.
Vigilius. 10. Ianuarij.
S. Vitalianus. 27. Ianuarij.
S. Vrbanus I. 25. Maij.
Vrbanus II. 29. Iulij.
Vrbanus III. 19. Octobris.
Vrbanus IV. 2. Octobris.
Vrbanus V. 19. Decembris.
Vrbanus VI. 15. Octobris.
Vrbanus VII. 27. Septembris.
Vrbanus VIII. 29. Iulij.

Pseudopontificum.

Victor IV. 13. Aprilis.
Vigilius. Vide superius Vigilius.
Vrsicinus. 12. Februarij.

Z

Pontificum.

S. ZAcharias. 15. Martij.
S. Zephyrinus. 26. Augusti.
S. Zosimus. 26. Decembris.

Pseudopontificum.

Zinzinus. 28. Maij.

FINIS.

